Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/constitutioreiur01paul

CONSTITUTIO
REI URBARIALIS
REGNI HUNGARIAE.

OPERA, ET STUDIO

CAROLI PAULY,

AD EXCELSAM CANCELLARIAM REGIAM HUNGARICO AULICAM CONCIPISTAE AULICI.

A M. KIR. KURIA KÖNYVTÁRA

TOMUS I. PARS I. et II.

BUDAPESTI KIR. ITÉLŐ TÁBLA KÖNYVTÁRA

VIENNAE 1817.

TYPIS GRUNDIANIS.

Cum quibus una est nobis nascendi moriendique conditio, illis prodesse potius, quam inutiliter dominari deberemus. Uladisl. II. decret. III. anni 1498. in praefat. §. 1.

HD
639
H93
V 1

P R A E F A T I O.

Aggredior CONSTITUTIONEM REI URBARIALIS REGNI HUNGARIAE, *quae a revisione excelsorum dicasteriorum per suam Majestatem sacratissimam ad typum clementer admissa est, in tres partes subdivisam, in quarum I. de fundis, II. de colonis, III. de urbariali instituto agitur, sub quibus banaticorum quoque comitatuum constitutio urbarii, ab hungarico differentis comparet, et adjecto indice, urbarialis itidem regulatio regnorum Croatiae, et Slavoniae, iis, quae cum hungarico communia habet, jam in eodem praevie attactis, seorsim pertractatur;*

opus completum spectato objecti pondere, materiarum numero, et utilitate sua tanto magis commendatione dignum, quod nullum adhuc adsit de urbario in hac integritate publica luce donatum.

Urbariale edictum Augustae p. m. Mariae Theresiae, primi instituti hujus fundatoris, quod principia urbarialis regulationis, mutuasque dominorum terrestrium, et subditelae correlationes complectitur, assumsit in fragmentis peregrinationum suarum anno 1811. *Frider. Nicolai, non tamen eo complexu, ut ratio meriti deposcere videbatur; quod etiam in anglicam linguam versum, in opusculo Townsoniano (Travels in Hungary) Londini* 1797 *comparuit, in gallicam quoque transfusum, et Parisiis* 1799 *editum.*

Gregorii Berzeviczy ab eruditione noti opusculum de conditione et indole rusticorum anno 1807 *editum, non sistit notitiam urbarii, cum alioquin non tam de hoc, quam de iis, quibus ad status publici cassam, et caussam obligantur, in eodem tractetur.*

Extractus sinopticus punctorum et paragraphorum benigni urbarii per Joannem Bapt. Csauszanszky editus, unice in praefato urbario, et urbarialibus impressis instructionibus, tam pro parte comissariorum regiorum, qui pro inducendo urbario ad comitatus exmissi sunt, quam pro parte exequentium magistratualium elaboratis, non tamen usque quaque exhaustis radicatur, in suo necessariae integritatis complexu haud efformatus.

Cum autem opus praesens, quod benignas etiam normales resolutiones regias complectitur, et adinstar commentarii quoque in easdem considerari potest, parte ab altera spiritum benignarum dispositionum eo in rem efficacius attingat, quo attentior illarum in unum corpus concentratio tenores emanatarum in urbarialibus resolutionum in genuino sensu acceptandarum, provocative etiam ad dictas instructiones, uberius explicat, parte vero ab altera tractatibus circa objecta urbarialia systematice elaboratis defixam subditorum tractamenti normam conspectui si-

stat, tam dominiis terrestralibus, quam et publicis magistratibus non ingratum omnino opus isthoc futurum est, sufficienti exteris una documento, rem urbarialem in regno Hungariae, in eminenti administrationis publicae gradu collocatam esse.

Quamvis vero nonnulla objecta suo loco hinc et inde oportunius memorari posse viderentur, quam nefors in opere adducta extiterint, adeoque limites partium non stricte observati censerentur; distincta tamen punctorum urbarii explanatio, provocatas in rem resolutiones uno conspectu hic potius quam dismembrative, locis autem aliis contra seorsim potius, quam collective sistendas, ratio operis secum tulerit, atque reflexionibus, quae idcirco poni possent, adnexus operi index, qui homogenea objecta in unum contracta figit, dilucidandis sufficere queat; cum ceteroquin, viam, cuius nulla adhuc vestigia adfuere, ingredientis attentionem plus meritum rei, quam forma in augustia etiam temporis distinuerit. Si vigili conatu,

et studio nefors deceptis quid integritati operis deesset, cuius notitia substratum urbarialis instituti uberius dilucidandum respiceret, cunctos iis admotos officiis, quibus experientia in urbarialibus est, interpellatione et precibus provocandos esse duxi, ut e respectu communis usus auxiliatricem non recusent manum, et data, quorum editionis necessitas commendata foret, idcirco mihi, qui cunctas resolutiones, velut majoris perfectionis fundamenta, ab occepto opere emanatas, et adhuc prodituras, intenso studio colligo, adeoque plura completius secundis curis illustrare possum, communicare velint, quatenus subsidia idmodi urbarialia, cum testimonio meae erga benevolos causae huius patronos recognitionis, ad publicam notitiam suppletorie perferri possint, cum insuper mea intentio eo dirigatur, ut constitutionis urbarialis, cui hungarico idiomate adornandae manum jam admoveo, si praesens opus usu suo satis probatum fuerit, industriam non enim, edito isto opere, seponere constitui, cum saepe defectus,

quibus primi in una quaque re, a praedecessoribus nondum satis eliquata, conatus imprimis obnoxii esse solent, lecto opere per alios facilius detegi possint, originali editione, quam, ubi opus censuram, et revisionem transierit, in patria lingua suscipiendam propono, iis quoque, qui id uberius optarent, pro viribus meis satisfieri valeat.

Viennae, mense februario 1817.

Carolus Pauly,
Concipista hungarico aulicus.

INTRODUCTIO.

Fundi, quos vi systematis urbarialis coloni, velut usufructuarii possident, veniunt nomine constitutivi sessionalis, quod tenuta colonicalia tam intra quam extravillana in certa mensura, numero, et qualitate erga obligationem defixarum praestationum, et servitutum iisdem incumbentium stabiliter ejectata complectitur.

Sublato etiam per legem in Hungaria variis mutationibus obnoxio jobbagyionatu perpetuo, ab introducta benigna urbariali regulatione, sorti agricolarum in communis prosperitatis causam in eo gradu consultum est, ut, cum jam ipsa nomenclatio haereditariorum fiscalium subditorum, nec non eorum, qui servitia csákányos dicta olim seriatim, et gratis praestabant, ad classem abrogatorum relata, et cuncta jobbagyionatus cetera adjuncta colonos prementia penitus abolita sint, ad eorum firmam conditionem, et subsistentiae securitatem nil fors in re urbarii amplius deesse videatur; quam efficax legum observantia.

Quod agricolae fundorum, quos excolunt, praeter usum fructum, nullam proprietatem cum reali dominio habeant, nec potuerint habere, ex legibus (parte 3. tit. 30.) et usu constitutionis clarum est; una tamen certum, quod jus absolutae in fundos urbariales proprietatis et potestatis dominio terrestrali, ab introducto contributionis et urbarii systemate, in conformitate tituli 9. part. I. haud adsit, atque si posterius latarum legum tabulas respiciamus, nulla prorsus in codice inveniatur, quae arbitrariam dominiorum cum contribuente, sub protectionem legum recepto procedendi normam canoniset, fundi proin colonicales, a quibus urbario defixae praestationes, datiae, et servitutes dominio competunt, et idcirco juribus dominalibus in recognitionem dominii terrestralis prospicitur, eam videntur ingredi classem, quae hucdum in instituto legislationis minus definita est, verum tamen usu ad generalem jurium sustentationis ideam, circumscriptio quaestionatae proprietatis, ex eminenti jure dominali, in ipsis juribus status publici, et organisatione regiminis fundato, quamvis liberam disponendi cum fundis urbarialibus activitatem jam non includat, originem suam et conservationem habuisse censeri debeat. Illud praecipuam obtutu dominalis proprietatis ideae subit attentionem. Hungaros jam

ab origine constitutionis, bellica ubivis virtute praeprimis eminuisse, atque illos, qui distinctis servitiis gloriam exercitus illustrarunt, inimicumque sibi et sedibus suis periculosum valida manu profligarunt, in eminentiorem classem, nobilium quippe (servientium regis dictorum) relatos fuisse, qui una etiam in sustentationem praerogativae hujus, juxta partis I. tit. 4. castro vel oppido, sive villa, aut alio jure possessionario, cum plena proprietatis potestate donati, atque ab omni rusticitatis jugo exempti erant, proinde jam ab hac inductae constitutionis epocha, nobilitatis, et rusticitatis origo, ac status conditionis differentia repetenda sit.

A primis reipublicae temporibus obligatio militandi in persona continuo nobilibus incumbebat, (quorum domus invasio juxta part. 2. tit. 42. §. 5. capitali poenae subjecta fuit,) et cum alias occupationes domesticas partim familiae suae, partim rurales praesertim labores subditelae reliquissent, quid in spiritu illius temporis, in incunabulis quippe fundati status in rem magis stabiliri potuit? quam ut iis, quos in ipsis suis sedibus, vel extra has pugnare coram hoste oportuit, ac saepe etiam in firmanda regiminis novi pacta vitam fundere contigit, de securitate irrestrictae bonorum proprietatis, cum effectu prospiciatur, illis vero,

qui servitia patriae fugientes vitam mercenariam in statu rusticitatis agerent, proprietas bonorum, et jurium possessionariorum unice heroibus addicta recusetur. Occasione, dum Hunni cum suis familiis e Scythia egressi, regiones ubi feliciorem vitam acturi consideant, marte quaesitas, electo duce, occupassent, sancitum erat, ut dum generalis expeditio exercitus incumbebat, mucro sanguine tinctus per media eorundem habitacula castraque deferatur, quatenus ad vocem praeconis quilibet armatus ad locum destinationis semet sistat, tenores publici decreti auditurus. Transgressores mandati morte plectebantur, arma non secuti, communiter in perpetuam redigebantur servitutem. qui ab omni jure proprietatis fundorum exclusi et glebae adstricti, subsistentiam vitae laboribus et mercede quaerebant, dominatui suo juxta partis III. tit. 25. perpetuo subjecti.

Combinata proinde nobilium strictissima armorum gerendorum, et servitii ceterorumque onerum obligatione, relate ad tutiorem mercenariorum a continuis vitae periculis conditionem, obtutu constitutionis, et usus penitius patescet, decretum jobbagyionatus perpetui, in hac adjunctorum epocha, in ipso germinantis status systemate, radicatum extitisse, absque quo illis circumstantiis nec constitutio, et regiminis ratio, in

primordiis suis firmiores radices agere, nec nobilitas in sustentandam cum decore, et securitate patriam florescere unquam potuisset. Idcirco proprietatem fundorum immobilium, juriumque possessionariorum obligationi servitiorum militarium, quae nobiles praestabant, strictim alligatam, conditionem autem propriis sumptibus servientium, proventibus indigam eo subservivisse, quod possessorii ut pote, et militandi obligationis cum immunitate perpetua a contributione juncti correlatio, proprietatis jurium dominalium eminentiam consuetudine, et decreto publico constabilire debuerit. — Namque ubi societates coalescunt, iis maxime indigent ordinationibus, quae locali necessitati eo successu correspondent, ne id, quod armis occeptum, consilio et autoritate in communem salutem provide jam constabilitum est, successive interire oporteat.

Sensere profecto necessitatem huius constitutionis majores nostri, partim ut decreto tali ad defendendas suas sedes, et jura animati continuum hosti praebeant propugnaculum, cuius scopo pro ratione proventuum in arcibus suis praesidii quoque intertentionem tulere, partim ut exemplo praemii, differentiae status, et honoris exciti, nihil a se desiderari patiantur, quod ratio publici, et constitutionis imperiose deposcebat.

Variis deinde, in tractamento rusticorum sibi succedentibus epochis, quarum recensio sphaeram praesentis introductionis excedit, id unice commemorandum restat, quod ubi de inducendo stabili milite, pendendaque in huius sustentationem contributione, consilia in publicis congressibus inita, atque subin benigna urbarialis regulatio introducta fuisset, fundos quos subditi excolebant, aliam longe indolem, et naturam obtinuisse contigerit.

Subsidiis contributionalibus a connumeratione portarum, et impositione dicarum in intertentionem et defensionem praesertim confiniorum, stipendiaque militum e publico destinatis, ratio redituum ad id necessariorum omnino exigere videbatur, ut coloni ferendis oneribus semper pares reddi, et in usufructu tenutorum, mercede quippe laboris sui, et industriae manuteneri possint, atque hinc factum est, quod ubi relate ad contributionem destinato scopo pendendam, in diaetali congressu lex sancita fuerat, vires quoque colonis huic oneri commensuratae procurari debuerint, hae vero subditis haud oportuniori modo suppeditari potuerint, quam ut in usu fructu terrarum manu colonicali excultarum juxta systema dicationis stabilitatem inconcussam, sufficiens proprietatis fundamentum, consequantur. Cesserat nobili-

tas hoc pacto juribus in attactos fundos, ab origine constitutionis sibi competentibus, ea conditione, ne onus inhaereat fundo, sed id quod nefors eandem, casibus lege exceptis huc non intellectis, quo demumcunque obtutu feriret, beneficio attactae cessionis in emolumentum status, et ipsorum colonorum, per eosdem velut terrarum dominalium usufructuarios oneribus publicis idcirco subjectos, sub legis aegide jam stantes, compensetur et contribuatur; atque cautio illa, quae intuitu defectus contributionis ex parte dominorum terrestrium, salvo ad colonos regressu, sarciendi in germanicis haereditariis ditionibus locum habet, ad dominia in Hungaria haud extensa intelligatur.

Hoc autem systemate id obtentum erat, quod fundi colonicales, quorum eminens proprietas dominium respicit, conscriptionem semel ingressi, seu a quorum productis, et appertinentiis contributio pendebatur, amplius a fundo contributionali, nisi in casu legis, nulla ratione avelli possint, proinde tam vigore legum, quam et b. urbarialis provisionis, absoluta dominiorum cum fundis contributionalibus disponendi potestas taliter jam restricta sit, eandemque fundus contributionalis in necessitatem publicam, intertenendae quippe militae, et ceteris publicis oneribus juxta tractatus comitiales destinatus, sibi merito vendicare de-

beat. Ex quibus patet, onera quibus ferendis coloni obnoxii sunt, per nobiles ipsos, medio eorundem, habito relate ad possessorii proprietatis cessae correlationem respectu dependi, cum alioquin coloni terras, quae (antea vigore donationalium absoluti juris, ac liberae disponendi facultatis) dominales erant, jam nunc iisdem cum obligatione cessas, absque ulla pecuniaria depensione, sine privativae proprietatis jure, et quidem de systemate ea in mensura et qualitate a dominis suis terrestribus haereditariis obtinuerint, ut praeter sufficientem sui, suorumque subsistentiam, publicis quoque oneribus, et dominalibus ferendis pares reddantur, adeoque hoc in puncto obligationi, quae dominos terrestres (praeter legis casum) respiceret, communiter satis facere possint. Haec quae exposita est, obligatio constituit profecto basim illius principii, quod relate ad manutenendos fundos urbariales, a conscriptione dicali unquam haud avellendos, tam leges patriae, quam et b. resolutiones regiae constabiliverunt.

CONSPECTUS OPERIS.

PARS I. DE FUNDIS.

Pag.

PARS II. DE COLONIS.

CONSTITUTIO
REI URBARIALIS REGNI HUNGARIAE.

PARS I.

PARS I. DE FUNDIS.

CAPUT I.

De constitutivo generatim.

SECTIO I.

Stabilitas constitutivi sessionalis urbarialis.

Cum constitutivum sessionale in proportionato numero, classe, et mensura, relate ad quemlibet colonum in individuo, aut relate ad omnes colonos collective determinet tenuta tam intra quam extravillana territorii dominalis per colonos ex nexu urbariali tenta et usuata, quorum fructus (juxta praescriptum b. instructionis commissariorum regiorum urbarialem regulationem in regno introducentium §. 15.) ultra conditioni eorum convenientem subsistentiam tam pro supportandis pro continuo oneribus publicis, quam dependendis praestandisque domino terrestri urbarialibus obventionibus sufficiat, hinc clarum est, donec obligationibus suis satisfecerint, et pro inutilibus, aut damnosis adinventi non fuerint (casibus lege exceptis horsum non intellectis) colonos a tenutis suis amoveri non posse. Onere publico dictamine legum fundamentalium ac signanter artli 8. 1741. inauguralium quoque diplomatum divae memoriae Leopoldi II. et Francis. I. sanctimonia muniti fun-

dis haud inhaerente, ast ad mentem articuli 18. 1723. incolis duntaxat oppidorum et possessionum curialium connumerationem portarum ingressarum incumbente. Per hanc provisionem obtinent constitutiva sessionalia suam stabilitatem, quae ante introductionem urbarii eo magis vacillavit, quod in ipsa b. instructione exequentium magistratual. cap. I. §. 2. ad punctum 5. sufficiens vestigium adinveniatur, ante introductum urbarium terras sessionales colonorum hinc et inde novae in annos singulos distributioni obnoxias fuisse, item cap. 2. §. 3. p. 9. ubi stat, quod pro casu illo, ubi in hoc vel illo loco subditi terras arabiles et prata stabiliter emensa non haberent, verum horum usus inter ipsos de anno in annum per sortes distributivas cultivandi vigeret, haec difficultas conscriptioni opponenda ita superetur, ut nempe ultimus individualis distributionis terrarum arabilium, et pratorum annus accurate omnino conscribatur.

SECTIO II.

De constitutivo in specie.

ARTICULUS I.

Fundus intravillanus, et extravillanus.

Unius integrae sessionis colonicalis pro aula, horto, et horreo est spatium unius jugeri capax duarum metretarum posoniensium (fundus intravillanus) quod deest, debet ex extravillanis fundis compensari. Urbar p. 1. §. 1. Si autem intravillanum plus contineat duabus metretis, illud superplus extravillanis fundis imputari, et respective abhinc demi potest, nisi supernatantia tam exigua

foret, ut unam quartam metretae non excedat, exiguitas enim haec attentione digna non est.

Pro extravillanis fundis, quot directe jugera assignari debeant, generaliter in ipso b. urbario definitum non est, unum jugerum tamen a duabus metretis posoniensibus computandum in terris arabilibus, insuper prata quoque assignentur, quod hic deest, debet in agris, et vice versa compensari. Urbar p. 1. §. 2. et quidem compensatio haec ita institui debet, ut in locum unius jugeri agri unum falcastrum in pratis (Tagewerk Wiesen, egy szekérre való rét) et in locum unius falcastri pratorum unum jugerum in agris assignetur. Ibid. pcto. 3.

Fundi intravillani ad metretas posonienses reducta capacitas totum illud spatium complectitur, in quo domus, area, hortus situatur, ad huncque calculum assumantur loca etiam illa, in quibus subditorum horrea, vel stabula, horumque circumferentia extra etiam contiguitatem domus habitationis eorundem situantur.

Quod si tali fundo intravillano in contiguitate interrupta adhaereat conjunctive vinea hortensis sic dicta, ac alias etiam intrafundualis nominata, haec quoque ad capacitatem fundi intravillani pertinebit, huiusque capacitas ad metretas posonienses reducatur. Instructio exequentium magistratualium cap. II. §. 3. p. 12.

Totum id, quod de integra sessione dictum est, juxta proportionem intelligendum venit etiam relate ad mediam, quartalistas item, et octavalistas. Urbar p. 1. §. 4.

ARTICULUS II.

Quantitas mensurae unius jugeri.

Quantitas mensurae unius jugeri agrorum duarum metretarum posoniensium capacis, non est metienda juxta classificationem locorum, sed unice juxta qualitatem glebae, quoad singulum colonum investigando, et annotando qualitatem glebae appertinentiarum sessionalium, in quanta circiter parte territorium loci fertilius vel sterilius sit? habita ad qualitatem glebae reflexione numerum orgiarum in jugeris sessionalibus observandarum positive a 1100, vel 1200, vel denique 2300. quadratis orgiis exprimendo. Instructio exequentium magistratualium capite II. §. 9. — quod ipsum etiam capite I. §. 3. ad quintum ibidem praescribitur.

ARTICULUS III.

De arabilibus terris.

Quidquid terrarum arabilium colonus conscriptus titulo sessionalium postfundualium usuat, huc intellectis et aeque in calculum sumendis tam qualicunque semine inseminatis, quam qualibuscunque plantis implantatis, aut in arvo existentibus, seu per subditum actualiter usuatis, seu per ipsum alteri incensuatis, totum id conscripto colono in tot jugeribus, quot tota haec capacitas effert, exponatur, singulum autem jugerum in duabus metretis posoniensibus exprimatur, ac ita calculetur, inque hunc calculum assumantur terrae quoque, et prata illa, quae juxta puncti 2. Urbar §. 2. intellectum, praemissa accurata in-

vestigatione naturam et indolem extirpaturarum amiserunt. Instructio exequentium magistratualium capite 2. §. 3. p. 13.

ARTICULUS IV.

De praedialibus terris sessionalibus.

Ut praediales fundi illi, qui titulo sessionalium usuantur, conscriptionem debito ordine ingrediantur, ac successive etiam semper sciatur, in quo, vel quibus praediis urbarialiter conscripti isti fundi existant, hos et tales, et quidem illos, qui in praediis distinctis, et territorio loci hactenus non incorporatis situantur, qua tales conscribendos, conscriptionique inserendos, qui vero fundi in praedio jam incorporato existunt, hos et tales rubricis extravillanorum sessionalium inserendos esse. Ibid. Capite 2. §. 3. p. 10.

ARTICULUS V.

Quoad terras arabiles et prata in praediis situata.

Cum alia sit ratio illorum praediorum, quae ut separata, suisque metis distincta corpora, vel ad propriam dominorum terrestrium allodiaturam usuata, vel vero erga annuam arendam certis temporibus, ac ad certos annos elocata sunt, per consequens libero domini terrestris arbitrio hactenus semper subfuerunt, alia vero talium praediorum, quae ac notanter recuperatis e manu Turcarum comitatibus neo aquisitis, omni populo destituta, successive vel impopulata, vel adaucto

in talibus locis populo eidem ad necessariam sui subsistentiam adjecta, et ita incorporata habentur, ut in iisdem aut sessionales agros, aut prata, aut pascuum hactenus habuerint, et ab his etiam in connumerationem portarum sumptis beneficiis urbarialia onera et servitutes quoque praestiterunt, hinc prout praedia illa prioris classis ulterius etiam a libero dominorum terrestrium arbitrio omnino dependere debeant, ita e converso posterioris classis praedia, absque manifesto legum praejudicio, et contribuentium damno iisdem nulla ratione subtrahi possunt; sed prout illa hactenus erga onera urbarialia possederunt, et usuarunt, ita etiam imposterum in eorundem possessorio erga proportionata urbarialia onera juxta praescriptum b. instructionis urbarialis emetienda omnino manuteneri debeant; terrae itaque istiusmodi praediales jam sessionales effectae in rubrica tabellae urbarialis 4. — prata vero in rubrica 5. ejusdem tabellae conscribantur. Ibid, cap. 3. §. 3. p. 13.

ARTICULUS VI.

De praedialibus fundis per dominos terrestres conditionatim subditelae addictis.

Si tales alicubi casus emergerent, quod domini terrestres pro meliori subsistentia colonorum possessionibus praedia adjecerint, conscriptionique subjecerint ea speciali cum cautela, ut ejusmodi praedia dum et quando iidem domini ter-

restres recipere voluerint, recipere eisdem sit liberum, a quibus interim praediis possessiones in praesens arendam quidem moderatam solvunt, pro talium tamen praediorum receptione semet insinuarent, in istiusmodi occursuris casibus pro requisita directione deseruit, ut sicut incolae ejusmodi terris connumerationem portarum jam ingressis, a quibus nimirum contributionale obtingens praevie supportaverunt, in dispendium boni publici exui nequeunt, ita sua Majestas sacratissima neminem speret dominorum terrestrium, praesertim, ubi ipsi iidem jam ante praecedaneos annos talia praedialia terrena pro meliori colonorum subsistentia, iisdem colonicalibus locis adjecerunt, eademque comitatus conscriptioni subjecerunt, nunc in obversum h. dispositionis regiae et legis publicae colonos a talismodi terris excludendos petiturum esse, si nihilominus quipiam praeter omnem exspectationem Majestatis sacratissimae talem praetensionem formaverit, circumstantialem relationem viâ Consilii locumt. regii suae Majestati praestandam venire. Instr. exeq. mag. cap. II. §. 3. p. 13.

SECTIO III.

De excisione sessionalis constitutivi.

ARTICULUS I.

De redintegratione sessionalium appertinentiarum.

Prout ex totalitate omnium conscriptarum appertinentiarum facile erui potest, quot a propor-

tione colonorum integrae, mediae, quartales, et octavales sessiones prodire queant, ita omnibus viribus in id intendendum est, ut in quantum possibile erit, universae hae sessionales appertinentiae vel ex ipsis redimendis extirpaturis, vel e desertis aut censualibus, aut ipsis allodialibus fundis in integras, medias, quartales et octavales sessiones redintegrentur; vel vero his deficientibus ex ipsis fundis, quos unus alterve colonus ultra praescriptam mensuram suae sessionalis quottalitatis possideret, aliarum sessionum defectus suppleatur, ita tamen, ut si facta hac distributione, et sessionum adaequatione de fundis hactenus possessis quid remaneret, tales supernatantes fundi tantisper, et donec fors et hi noviter accessuris pluribus neoimpopulandis sessionibus necessarii erunt, erga proportionate abinde ferenda onera iis praesertim assignentur colonis, qui non solum ad excolendos hos fundos magis capaces, sed et his fundis plurimum indigi erunt. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 18.

ARTICULUS II.

De sessionum subdivisione qualiter instituenda.

In qua nihilominus tam sessionalium quam et supernatantium fundorum distributione ea generalis erit observanda regula, ne ejusmodi fundi in minores portiones quam in octavales sessiones dividantur, consequenter et ipsa distributio non stricte juxta integras, medias, et quartales, sed magis juxta sessiones octavales fiat.

Ubi tamen id ipsum nulla ratione fieri posset, ibi sessionales appertinentiae in moderno quidem statu relinquendae, et modo regulata urbarialia onera colonis nonnisi a proportione actualis possessorii praescribenda erunt, adlaborabunt tamen et in his domini terrestres, ut successive in talibus quoque locis, fundos sessionales ad rectam pro eodem comitatu a proportione obtingentis classis praecriptam integrarum, mediarum, quartalium et octavalium sessionum mensuram coram testimonio tamen comitatus redintegrare, et adaequare possint, dummodo per talem adaequationem, et redintegrationem neque numerus sessionatorum colonorum restringatur, neque fundis colonicalibus per subditos hactenus possessis et usuatis quid subtrahatur:

Instructio exequentium magistratualium cap. V. §. 18.

ARTICULUS III.

De capacitate fundorum constitutivi in tabellis urbarialibus juxta numerum redintegrationis inserenda.

Si nonnulli domini terrestres ad instituendam redintegrationem fundorum statim occasione urbarialis regulationis accesserint, redintegrationemque in continenti praestandam adpromiserint, tunc capacitas fundorum in concernentibus tabellae urbarialis rubricis in illo numero jugerorum, et falcastrorum accurate inseratur, quem numerum redintegrationis accuratus calculus effert; assignati autem per dominos terrestres pro

redintegratione fundi in illa quantitate et capacitate, quam calculus redintegrationis requirit, realiter et effective demonstrentur, emensurentur, ac concernentibus colonis distributive tradantur, et resignentur; sint tamen fundi isti tales, qui fruibili usui deserviant, ipsaque dimensionis et emensurationis modalitate, et quidem quoad terras arabiles jam in superioribus praescripta ad qualitatem glebae reflectenda quadratarum orgiarum idea observetur. Instructio exequentium magistratualium cap. V. §. 20. — Si vero ad hanc redintegrationem haud accederetur, tunc capacitas fundorum intra, et extravillanorum in illo jugerorum et falcastrorum numero concernentibus tabellae urbarialis rubricis inseratur, qui numerus in concernentibus conscriptionis jam peractae rubricis continetur. Ibid. §. 21. et 22. directe terras arabiles respiciente.

ARTICULUS IV.

De constitutivo sessionali inquilinis et subinquilinis ejectato.

Sub rubrica constitutivi etiam inquilinis et subinquilinis omnis talis capacitas exponatur, quam hi in terris sessionalibus postfundualibus a dominio terrestri usuant. Observandum tamen, ut ultra octavae fractam minor non exponatur, alioquin nihil fructificans, et in labore computuali confusionem pariens. Instr. exeq. mag. cap. II. §. 3. p. 13.

Porro ductu ejusdem instructionis cap. V. §. 22. disponitur, ut ex illis, qui in conscriptio-

ne juxta priorem eorundem statum inter colonos positi habentur, tales, qui constitutivo octavalis sessionis minus habent, ad seriem inquilinorum domos habentium ponantur, et e converso inquilini illi, qui constitutivum fundi sessionalis in tali quantitate usuant, qualis constitutivum unius octavae colonicalis seu adaequat, seu superat, inter colonos sessionales suo loco inserantur.

ARTICULUS V.

De qualitatibus sessionum colonicalium.

a. De fundi extravillani qualitate et defectus redintegratione.

Praevie calculo arithmetico expedienda est universalis capacitas fundorum extravillanorum sessionalium in tabella urbariali sub nro. 4, et 5. expositorum, cum constitutivo et classe pro hoc vel illo loco per b. resolutionem regiam emensis, et in puncti urbarialis 1. § 1. in vacuis locis expresso combinanda, haecque capacitas in octo partes divisa, quot numero octavas praebebit, tot numero octavae erunt in rubrica secunda tabellae urbarialis pro qualitate sessionis exponendae, illa nempe modalitate, ut si praeattacta fundorum extravillanorum capacitas e. g. octo octavas praebeat, exponatur una integra, et sic a proportione major vel minor sessionis qualitas.

Si tamen capacitas fundorum extravillanorum talem produceret quantitativum numerum, qui de integra sessione, seu octo octavis minus, et septem octavis plus, et sic descendenter usque octavam

plus minus produceret, tali in casu illa sessionis qualitas in hac secunda rubrica exponatur, ad quam capacitas fundorum extravillanorum numero arithmetico proximius accedit.

Quodsi constitutivum intravillanae sessionis in rubricali tabella sub nro. 2. duas metretas posonienses integras et unum metretae posoniensis quadrantem superet, tota illa supernatans capacitas pro fundo extravillano sessionali reputanda sit, et pro eruendo, determinandoque juxta superiora qualitatis sessionis calculo assummi debeat, praeexposito quadrante qua alioquin exiguitate reflexionem mereri nequeunte.

Si porro capacitas fundorum extravillanorum semper tamen reflexe ad emensum constitutivum plures quam octo octavalitates producat, tot quot supra unam, seu integras seu octavales praebet sessiones, tot numero exponantur in hac sub nro. 2. rubrica sessiones seu integrae seu octavales.

b. De fundi intravillani qualitate et defectus compensatione.

Capacitas fundi intravillani in metretis posoniensibus tot, quot in peractae conscriptionis rubrica sub nro. 3. exponuntur, exprimenda est. In hac interim rubrica infra quartam inferior fracta non exponatur.

Pro casu ac conscriptus fundus intravillanus constitutivi pro sessione intravillana emensi urbarialiter praescriptam a proportione sessionum competentiam non adaequaret; in quantum ex hac requisita competentia eidem deesset, (prout jam

supra dictum) ex fundo extravillano sessionali suppleri debet, hinc casu in tali ex capacitate fundorum extravillanorum tantundem subtrahatur, quantum nempe ad supplendam capacitatem constitutivi intravillani desideratur, et dein ex capacitate fundorum extravillanorum sessionalium remansura calculo arithmetico numerus jugalium robottarum efformetur, hicque numerus tabellae inseratur. Instr. exeq. mag. cap. 3. §. 22.

ARTICULUS VI.

De pomariis, et prunetis ad constitutivum spectantibus.

Ad capacitatem terrarum arabilium in tabella rubricae de constitutivo inseri debentium connumerari debent etiam pomaria et pruneta in agris sessionalibus consita, peraeque in capacitate ad metretas posonienses reducenda. Instr. exeq. mag. cap. II. §. 3. p. 13.

ARTICULUS VII.

De terris quae constitutivi capacitatis calculum subingredi non possunt.

B. instructio urbarialis exequentium magistratualium cap. II. §. 3. p. 13. in fine praecipit sollicite attendendum esse, ne sessionales terrae arabiles illae et tales, quae seu metaliter amissae habentur, seu rapacitate aquarum avulsae sunt, seu denique tanto sabulo repletae existunt, ut cultivari amplius non possint, quoquomodo constitu-

tivi capacitatis calculum subingrediantur, nisi forte dominium mox supplere cuperet, quo in eventu in tanta capacitate in calculum concernentis rubricae in tabella urbariali assumantur, et exponantur, in quanta nempe per dominium supplebuntur.

ARTICULUS VIII.

De compensatione defectus fundi intravillani, vel extravillani in tabella urbariali sub rubrica nro. 16. attacti; et de libera aequivalentium fundorum utendi facultate.

Tota illa capacitas, qua competentia fundi intravillani, et pratorum adjustata habetur, inserenda est tabellae urbariali in ultima rubrica nro. 16. ut exempli gratia si ex competentia fundi intravillani desit una metreta posoniensis efficiens jugerum medium, et in competentia desint tres falcatores efficientes jugera tria, — summa haec $3\frac{1}{2}$ jugera inserantur in eandem rubricam.

Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22. ad finem.

Paragrapho autem 30. ejusdem instructionis relate ad puncti urbarialis 1. §. §. 3. et 4. disponitur, ut in compensationem deficientium pratorum, aut intravillani fundi assignati agri, quorum, videlicet capacitas in tabellae urbarialis rubrica 16. exposita habetur, in tali loco exscindantur, ut in quantum possibile fuerit, a reliquis agris separati et distincti, ac in tali seperata calcatura omnes simul siti sint, si tamen id ipsum haud fieri possit, sed hi etiam aequivalentes agri aliis intermixti manere deberent, tunc disponendum, ut

ejusmodi aequivalentibus fundis qualitercunque utendi et fruendi libera pro omni tempore rustico facultas permaneat, neque idcirco quaqua ratione turbentur, aut molestentur, ab his vero fundis nec nona, nec decima exigi, desumique possit.

SECTIO IV.

De Pratis.

ART. I.

De pratis generatim.

Prata subditis adimi, et in eorum locum agri per dominium dari non possunt pro lubitu, agrorum enim in locum pratorum substitutio eo duntaxat in casu locum habet, quando prata non dantur, quae ad sessionem applicari possent; nro. 4283. 1775. Prata ingrediuntur conscriptionis, et constitutivi extravillani rubricas in tabella urbariali.

ART. II.

De pratorum falcastris qualiter calculandis.

In singulo loco urbariali diserte investigandum est, num in pratis sessionalibus cordum semper, seu quotannis, aut raro vel nunquam falcetur, hic tamen etiam illud observandum, num falcari quidem posset, ast potius ex culpa colonorum non falcetur; instr. exeq. mag. cap. I. §. 3. ad quintum.

Prata in rubrica tabellae urbarialis semper bis falcabilia intelligenda sunt; quorum intuitu observandum est, quod prata talia, quae alias de na-

tura procreationis suae annue bis falcari possent, culpa tamen subditorum secundario haud falcantur, talia pro bis falcabilibus exponantur, prout et prata talia, quae non obstante eo, quod incolae loci praeter, et extra haec pascuo sufficienti provisi existunt, nihilominus tamen usum cordi in pascuum convertunt. E contra vero in locis illis, in quibus insufficientia pascui, cordi falcatura in pascuum conversa premente necessitate sublevari debet, istiusmodi prata in rubrica nunquam bis falcabilium exponantur. Instr. exeq. mag. cap. II. §. 3. ad p. 14.

ART. III.

De pomariis et prunetis in pratis situatis.

Pomaria quoque et pruneta in pratis existentia capacitati falcastrorum ad 4. rubricam tabellae urbarialis spectantium connumerative adjiciantur. Instr. exeq. mag. cap. II. §. 3. p. 14.

ART. IV.

De pratorum conditione et qualitate.

Ceterum quoad prata intuitu superius enarratorum fatorum illa ipsa regula servetur, quae in simili, uti superius, quoad terras arabiles observanda praescribitur. Ibidem.

ART. V.

De capacitate pratorum.

Capacitas pratorum non exprimatur ad currus, sed semper ad falcastra reducta; et quidem pro casu redintegrationis, vel non redintegratio-

nis eadem, quae quoad terras arabiles exposita est modalitate; adeoque in eruenda ex pratorum capacitate robottarum, ac aliarum praestationum competentia, reflexe semper ad definitas classes et pro his emensum constitutivum eruatur, ac efformetur, et quidem quoad singulum individuum; ultra octavam autem inferior fracta in rubricis tabellae urbarialis non exponatur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

Siquidem juxta b. urbarii p. I. §. 3. uni falcastro in pratis unum jugerum in terris arabilibus aequiparetur, quodve falcastrum unum seu 2. metretarum capax terra 1. classis a 1100 orgiis quadratis, et sic a proportione computari communiter soleat, quaestio surgit, an pratorum falcastra per 1100 orgias, et sic a proportione calculari debeant?

Quaestio haec in nova urbariali regulatione possessionis Nagy Belicz in comitatu nitriensi, in qua post commassationem terreni, constitutiva sessionalia in eadem quantitate et qualitate, uti ante commassationem praefuerunt, observato urbariali calculo emensurata, et pratorum falcastra per operantem geometram in 800 quadratis orgiis calculata sunt, ad numerum locumtenentialem 13724. 1812. ita definita est; quod in nexu praxis ubique vigentis, claro sensu b. praescripti urbarialis, operatum geometrae falcastrum ab 800. orgiis quadratis ejectantis stabiliendum sit, cum per ipsum urbarium, quo mediante unum falcastrum pratorum unius currus foeni ferax esse debet, sufficienter eatenus prospectum habeatur, specificaque

ejusmodi mensurae expositio ibi solum locum obtineat, ubi nempe agri pro adjustatione pratorum assignantur.

E b. resolutione regia ddto. 30. decembris 1771. nro. 6448 emanata — videre est quaestionem relate ad pratorum bis falcabilium substituendum in agris aequivalens ad 8 falcastra calculandum, superatam esse urbar. p. I. §. 3. illam vero, utrum pro uno pratorum falcastro eadem, quae pro agrorum jugero. mensura quadratarum orgiarum definiri debeat, instructione cap. V. §. 30. exeq. mag. (prout attactum est) superatam, et a proposita pratorum mensura abstrahendum esse.

E processu urbariali Ikervariensium ad numerum locumtenentialem 8274 1812. patet, in alleviamen conditionis colonorum, ultra urbarialem competentiam, a proportione constitutivi sessionalis, post integram sessionem tribus, $\frac{3}{4}$ sess. duobus, et mediam sessionem uno falcastro pratorum erga moderatam praestationem adaucta esse.

Cum quoad prata numerus orgiarum, qui pro singulo curru foeni exscindi debet, defixus non sit, nec generaliter aliquid defigi valeat, eo quod pro ratione situs, et fertilitatis terreni jam majorem, jam vero minorem extensionem capacitas unius currus foeni exigat, ac reipsa id spectari oporteat, num prata colonis assignata tot curruum foeni capacia sint, quod ipsis juxta competentiam sessionum dominium assignare constituit, ideo in dimensione pratorum, designataeque pro uno falcastro 800 orgiae ea ratione locum obtineant, colonisque regulam ponant, si singulum

pratum in extensione 800. orgiarum computatum, unum etiam foeni currum reddat, atque ex hac orgiarum connumeratione, pratorumque dimensione coloni tot, quot eis competunt, currus foeni obtineant, casum in contrarium enim peracta dimensione pratorum pro regula assummi nequeunte, haec ea quantitate rusticis exassignanda venient, quae illis tot currus foeni reddant, quot ipsis e praesripto urbarii competunt. In processu urbariali possessionis Sövényház in comitatu jaurinensi; numero locumtenentiali 5995. 1779. 17. decembris.

Instructio exeq. mag. non ad currus, sed falcastra reduci jubet capacitatem pratorum cap. V. §. 22. Urbarium vero p. I. §. 3. quantitatem unius falcastri ad unum diem falcatoris defixit; urbarium germanici idiomatis sic sonat; daß anstatt eines Joches Acker ein Tagwerk Wiesen, und anstatt eines Tagwerks Wiesen ein Joch Acker gegeben werde; in hungarico autem sic sonat: tehát minden hóld szántó föidnek fogyatkozása egy szekérre való réttel, és viszszont helyre hozatassék;

Conciliari haec omnia possunt per illud b. resolutione sancitum principium, (nro. 7140. 1815') ut peracta oculari in facie loci revisione; probisque necessariis hac occasione institutis, competentia pratorum illo numero quadratarum orgiarum exscindatur, qui in sensu urbarii capacitatem unius falcastri constituunt. — In processu urbar. Csébiensium in comitatu bacsiensi.

ART. VI.

Quoad pratorum sessionalium in agros conversionem.

Pratorum sessionalium in agros conversionem nec indiscriminatim admittendam, nec simpliciter interdicendam, verum id curandum esse, ut si quis colonorum prata sua sessionalia inseminare voluerit, id praevie dominio terrestrali insinuare teneatur, cuius intersit providere, ne eadem prius et potius inseminentur, quam ipsi agri sessionales inseminati fuerint, quemadmodum justum est, ut defraudatio dominii in decimali obtingentia ex agris sessionalibus dominio competente, eatenus compensetur, ita parte ex altera desumptio n o n a e vel s e p t i m a e velut ex agris duntaxat sessiononalibus competens, ex sessionalibu spratis etiam subaratis locum neutiquam habeat.

In causa cameral. district. Szántó et Zombor in bacsiensi comitatu nro. aul. 1167 1816. pro directione.

ART. VII.

De projecto deputationis regnicolaris quoad capacitatem falcastrorum.

Deputatio regnicolaris in suo operato urbariali 1791 ad procurandam relate ad objectum isthoc uniformem in toto regno manipulationem tres classes pro geometrice dimetiendis cujus vis speciei pratis habito respectu ad magis aut minus feracem et fructuosam foeni procreationem constituit, et ad 1. classem 600 — ad 2. 800 — ad 3. 1000 orgias quadratas pro capacitate unius falcastri assummi posse determinavit.

SECTIO V.

De rectificatione constitutivi sessionalis.

Si penes fundorum revelationem, per horum sessionalem excisionem fors error aliquis intercessisset, et hunc una vel alia pars per geometricam dimensurationem re ipsa evenisse suo loco remonstraret, tunc non obstante hac prima fundorum sessionalium excisione, parti laesae talis erroris justa compensatio semper in salvo manebit. Inst. exeq. mag. cap. V. §. 30.

Dominiis terrestralibus via processus urbarialis ad rectificationem sessionum colonicalium procedentibus (quod utique licitum est, et saepe fit ex eo, quod vel a tempore introducti b. urbarii in tenutis colonicalibus partim per successiones, et subdivisiones, partim per potentiorum occupationes variae mutationes intercesserint, vel quod illorum primaeva subdivisio ex arbitraria tantum colonorum indictatione facta fuerit;) ac proinde tales errores ac mutationes per dimensionem geometricam (de qua parte III. meritorie agitur) sensu b. instructionis exeq, mag. cap. V. § 30. reparari, et universa tenuta colonicalia novis eorundem constitutivis accomodari desiderantibus, necesse est, ut in spiritu b. resolutionum, quod alioquin de praxi etiam obtinet, ex parte concernentis dominii terrestralis exhibeantur.

1. Liber fundualis, individualem tenutorum sessionalium dimensionem complectens, et classificationi (de qua statim ad 2. sermo) accomodandus — in praesentia fisci magistratualis, et legalis testimonii authenticatus.

2. Ad eruendam qualitatem fundorum colonicalium testimoniales super classificatione qualitatis glebe ad exigentiam instr. exeq. mag. cap. 2. §. 9. per vicinos et commetaneos in toto territorio peraeque in praesentia fisci magistratualis peracta

3. Nova tabella urbarialis fundos colonicales, et iisdem admensuratas praestationes et servitutes continens judicialiter stabilienda.

4. Instrumentum combinatorium cum antiqua et nova tabellis urbarialibus, et libro funduali per legale testimonium, et comitatus geometram confectum. De his omnibus parte III. uberius.

SECTIO VI.

De vineis ad constitutivum sessionale an assumendis.

Vineae ad constitutivum sessionale non pertinent, adeoque pro constitutivo assumni nequeunt. Ibid. exeq. mag. cap. 2. §. 10.

Anno 1772, die 5. octobris nro. 4871 mandatum, ut vinearum pedes e constitutivo sessionali exmittantur, et si eidem adnumerati haberentur, ut in locum eorum alii potius fundi pro constitutivo colonis assignentur, et quia memorati pedes vinearum alioquin ea ratione dati essent, ut vineis implantentur, ideo fundi hi per colonos in vineas convertantur et taliter excolantur.

Anno 1784. 21. aprilis nro. 8776 — ut si futuris temporibus vineas oppidanorum incuria seu

in parte quapiam negligi et desolari, seu in pruneta aut alios usus converti contigerit, ab ejusmodi plagis in vicem cessantis nonae et decimae ex procreatione vini provenientis salvum sit a proportione quantitatis talismodi terreni urbarialiter praescriptam quottam pecuniariam desumere.

Est praerogativa illa dominii terrestris, quatenus vineas per alios in territorio suo plantatas et possessas condigna aestimatione mediante statis temporibus reluere, et ad allodiaturas suas applicare possit: fundatur in positiva lege articulo 58. 1625, nulla in obversum b. resolutione existente.

Peracta abaestimatione, si coloni querelas eatenus interponant — repositioni locus non est, sed in quantum nefors in calculo aestimationali se injuriatos praetenderent, meritum isthoc coram sede dominali solito modo pertractandum, decidendum et revisioni sedis judiciariae substernendum est. Adsunt tamen casus, ubi e respectu localium adjunctorum, nec non libera emptione et venditione locum habente, adeoque summis pecuniariis possessorio vinearum inhaerentibus, earundem abaestimationes pluribus difficultatibus, et reflexionibus etiam in via juris subjectae erant.

Relate ad quaestionem, et respective propositïonem, ut vineae in Sclavonia e constitutivo sessionali prorsus eximantur, deinceps ad fundos industriales referantur, earumque possessores ad classem inquilinorum redigantur, suam Majestatem sacratissimam b. resolvisse; cum principium urbarii slavonici, ut e vineis in defectu terrarum

arabilium ad constitutivum sessionale assignandis duo fossores in vicem unius jugeri terrae arabilis imputentur, diserte prodat, diversam omnino vinearum ab agris relate ad extensionem ipsius constitutivi esse rationem, auditis autem in hanc rem respectivis dominiis perhibeatur, tam occasione revisionis sessionum 1758 susceptae, quamve actu ad unum fossorem 1800 vites calculari solere, ad has vero in justa distantia plantandas inclusis semitis 275 □ orgias requiri, proinde extensionem vineae 550 □ orgiarum uni jugero terrae arabilis in 2000 □ orgiis assumpto tanto magis aequipollere, quod fructus e constitutivo sessionali in vineis emenso redundans fructum sessionis ex agris constantis, spectatis etiam fatalitatibus, quibus vineae expositae sunt, adaequet (imo superet etiam, prout acta deputationalia comitatus syrmiensis testantur) necesse non esse, seu praevigentem hactenus in hoc ordinem atque usum invertere, seu ad ea, que per exactoratum locumtenentialem ab una, et per comitatum syrmiensem ab altera parte proponuntur, ut nempe vel ad unum fossorem millae □ orgiae assumantur, vel vineis e constitutivo sessionali prorsus exmissis, harum possessores tractamento inquilinari subjiciantur, confugere, verum stante supraallato urbariali principio quantitatem et extensionem vineae duorum fossorum non a paritate unius jugeri terrae arabilis, sed ex usu illarum partium definiendam, eaquepropter duos fossores vinearum in vicem unius jugeri terrae arabilis in constitutivum sessionale imputandos, prout et praevigenti usui, ut ad unum fossorem

275 □ orgiae assumantur, occasione novae instituendae dimensionis insistendum esse, vel ideo etiam, ne id genus vineae omnes (prout jam cum dimidio territorio possessionum dominii Kamenitz —locorum Kamenitz, Ledincze, et Brocsin in comitatu syrmiensi factum esse acta perhibent) sensim vel ad manus extraneorum devolvantur, vel depositis deponendis per dominium vi occupentur, (atque integrae dominii Kamenitz communitates, omni terreno, tenutisque suis exuantur.)

Ceterum allegatis incommodis ex applicatione vinearum ad constitutiva sessionalia promanaturis sufficienter per id obviari, quod a sessionali constitutivo particulas avellere, non item constitutivum totum distrahere colonus prohibeatur, quodve ad curam, imo lucrum ipsius dominii pertineat praecavere; ne seu per conversionem vinearum in agros, et vicissim constitutiva sessionalia confundantur, seu eo casu, quo minorennes orphani excolendis tenutis essent insufficientes, haec in periculum desolationis adducantur: nro. aul. 12510. 1813. 8. octobris.

SECTIO VII.

De generali conspectu constitutivi extravillani in Hungaria.

Extravillanum constitutivum est per b. resolutiones regias relate ad qualitatem glebae, beneficia item, et maleficia locorum emensum. Terrae arabiles sunt in 5 classes divisae, prata autem in tres classes, ubi cordum semper, vel raro, vel nunquam falcatur; prout ex tabella generali uberius patet.

Tabella constitutivi extravillani.

Comitatus.	Ex terris arabilibus pro classe 1.	2.	3.	4.	Ex pratis, ubicordum falcatur. semper	raro	nunqu.	Vigore b. resolutionis regiae.
	Jugera				falcastra.			
Abaujvariensis	22	24	26	—	6	6	8	20. Septembris 1772
Albensis	22	24	26	—	8	10	12	20. Mai. 1767.
Arvensis	24	26	32	40	6	6	8	26. August. 1771.
Aradiensis	26	28	30	32	8	10	12	14. Septembris. 1770.
Bacsiensis	32	34	36	38	22	22	22	9. Octobris 1771.
Barsiensis	18	20	22	24	6	6	8	13. Januarii 1779.
Baranyensis	22	24	26	—	8	10	12	4. Decembris 1766.
Békesiensis	34	36	38	—	22	22	22	8. Mai. 1771.
Bereghiensis	18	20	22	24	8	10	12	2. August. 1774.
Bihariensis	26	28	30	32	8	10	12	24. Decembris 1771. nro. 6419 aul.
Borsodiensis	26	28	30	32	8	10	12	12. Octobris 1770.
Castriferrei	18	20	22	—	6	6	8	21. Julii. 1766.
Comaromiensis	20	22	24	—	6	8	10	16. Mart 1768.
Csanadiensis	36	38	—	—	20	20	20	20. Februarii. 1771.
Csongradiensis	34	36	38	—	22	22	22	6. Mai. 1771.
Gömöriensis	24	26	28	32	8	10	12	18. Septembris 1772.
Hevesiensis	26	28	30	32	8	10	12	6. Octobris 1770.
Honthensis	18	20	22	—	6	6	8	28. Mai. 1770.
Jaurinensis	20	22	24	—	6	8	10	2. April. 1768.
Lyptoviensis	18	20	24	—	6	6	8	29. Septembris 1770.
Maramarossien.	22	24	26	30	8	10	12	30. Septembris 1772.
Mossoniensis	20	22	24	26	6	8	10	14. Octobris 1771.
Neogradiensis	20	22	24	26	6	8	10	11. August. 1770.
Nitriensis	16	18	20	22	6	6	8	2. Januarii 1760.
Pesthiensis	24	26	28	30	8	10	12	28. Octobris 1768.
Posoniensis	16	18	20	22	6	6	8	8. Decembris 1767.
Sárossiensis	20	22	24	26	6	6	8	19. August. 1772.

Tabella constitutivi extravillani.

Comitatus.	Ex terris arabilibus pro classe. Jugera 1.	2.	3.	4.	Ex pratis, ubicordum falcatur. falcastra. semper	raro	nunqu.	Vigore b. resolutionis regiae.
Scepusiensis	22	24	26	30	8	10	12	2. Mai. 1768.
Simeghiensis	22	24	26	—	8	10	12	28. April. 1773.
Sopроniensis	16	18	20	22	6	6	8	19. Januar 1767.
Strigoniensis	20	22	24	—	6	8	10	4. Mai. 1768.
Szabolcsensis	28	30	32	—	8	10	12	28. April. 1773.
Szaladiensis	18	20	22	—	6	8	8	31. Octobris 1765.
Szatthmariensis	26	28	30	32	8	10	12	6. Septembris 1773.
Tolnensis	22	24	26	—	8	10	12	8. Decembris 1766.
Tornensis	26	28	30	32	8	10	12	7. Octobris 1771.
Trenchiniensis	16	18	20	22	6	6	8	26. August. 1771. nro. aul. 3909.
Thurocziensis	16	18	20	—	6	6	8	30. Decembris 1771.
Ugocsiensis	20	22	24	—	8	10	12	25. April. 1774.
Unghvariensis	20	22	24	26	8	10	12	1. Mai. 1773.
Veszprimiensis	22	22	26	—	6	8	10	4. Mai. 1768.
Zempliniensis	20	22	24	26	6	8	10	24. Mai. 1773.
Zoliensis	18	20	22	24	6	6	8	16. Novembris 1770

N. B. Quinta classis est eximissa; siquidem in regno Hungariae solummodo in comitatu bereghiensi cum 28. et in comitatu nitriensi cum 24. jugeribus obtineat.

SECTIO VIII.

De constitutivo sessionali in Banatu.

ART. 1.

De ejectatione constitutivi.

Proprietatem fundorum tam colonicalium in banaticis comitatibus, quam et industrialium b. urbarium securisat.

Constitutivum sessionum spectata terreni fertilitate, et beneficio distractionis productorum, distinctum est ab illo, quod in Hungaria obtinet, dividiturque illud intuitu praestationum in tres classes.

a. Integrae sessionis colonus, citra discrimen classium tamen habet
in agris 24 jugera, pratis 6 jugera; in communi pascuo tria, pro domo et horto unum; in toto 34 jugera.

b. Mediae sessionis: in agris 12 — prato 4 — pascuo 2. pro horto, et domo 1. in toto 19 jugera.

c. Quartalista habet: in agris 6 — prato 3. pascuo 1 — domo 1 — in toto 11 jugera.

d. $\frac{1}{8}$ sessio continet proprie in toto 7 jugera, unum jugerum pro domo et horto, unum jugerum pro pascuo, cetera quinque jugera pro ratione circumstantiarum et oeconomiae colonorum in agris et pratis exscinduntur.

ART. II.

De mensura jugeri.

Unum jugerum seu in montibus, seu in plano ad observandam aequalitatem complectitur 1600 orgias quadratas.

ART. III.

De octavali sessione uno jugero ultra competentiam provisa.

Habent nonnullae octavales sessiones in Banatu etiam octo jugera, hae tamen relate ad praestationes dominio pendendas cum ceteris, quae tantum 7. jugera habent, aequaliter tractari debent, exemplificatione exinde locum non habente, quod supernatans unum jugerum possessionibus ex peculiari altissima gratia relictum habeatur. Banat. urbar. cap. I.

ART. IV.

De cauletis et fructiferis hortis ad constitutivum haud spectantibus.

Cauleta et fructiferi horti non spectant ad sessionale constitutivum, sed unice ad industriales, seu extrasessionales fundos in hocce districtu referendi, ac proinde ab his non praestant obligationes constitutivo fixas, sed dependent unice industriales praestationes (Industrial-Grund-steuer.) communiter pro uno jugero dominio dependuntur 30 xri.

SECTIO IX.

De Sylvis.

ART. I.

De sylvis juxta urbarium hungaricum.

a. Sylvarum superinspectio solum penes dominium manet, urbar. p. 2. §. 8. Ubi communitas sylvas emensas habet, vel hae ad sessionale constitutivum pertinent, est in libero usu lignationis, glandinationis, et gallarum collectionis. Ibid.

b. Sylvas proin conservare dominii interest, ideo nulli subditorum vivas arbores, vel virgulta pro sepibus, vel perticas pro circulis, aut palos absque speciali dominii indultu succidere, et in aliud terrenum transferre, aut vendere, ac per consequens quaestum cum lignis exercere licitum erit. Urbar. p. 8. §. 7.

c. Sylvas succidentes, aut decorticantes subditi ad damnum resarciendum, triumque insuper dierum perficiendum manualem laborem obligantur, poenâ hac non deterriti, penes magistratualem assistentiam pro qualitate gravioris delicti severe aliorum pro exemplo puniantur. Urbar. p. 8. §. 8.

d. Sylvestrium fructuum collectio colonis pro domestica duntaxat necessitate admittitur, instr. exeq. mag.

De lignatione, et ceteris beneficiis et usu sylvarum suo loco actum est.

ART. II.

De sylvis, earundem superinspectione, et usu in banaticis comitatibus.

a. Juxta banaticum urbarium cap. 3. in locis ubi sylvae praeexistunt, est colono prout hucusque ita imposterum citra solutionem, aut servitutis praestationem, adeoque gratis licitum arida ligna colligere pro sua necessitate, desectione lignorum ex vivis arboribus prohibita.

Haec tamen in banatu eatenus notantur.

1. Tempus collectionis pro uno aut diebus duobus in septimana ex parte dominii defigitur, extra quos aditus in sylvas citra specialem facultatem colonis vetitus est.

2. Orgialia, et aedilia ligna, aut truncos integros nonnisi erga sylvanalem taxam, vel convento pretio coloni a dominio accipiunt.

3. Illi coloni, qui proprias habent sylvas, septimanatim in sylvas eundi, et ligna colligendi facultate destituuntur.

b. Superinspectione, et dispositionibus relate ad sylvas colonos privative respicientes dominio reservata, et competentibus.

c. Et quia colonus arida ligna, prout attactum est, a dominio gratis obtinet, favor iste porro quoque eidem relinquitur; ita tamen, ne obligatus sit dominio orgialia ligna secare, et devehere, nisi eatenus cum colonis alia conventio fuisset inita.

d. Illa sylvarum loca, quae colonis ad ipsorum constitutivum, in agros, pascua, vel prata geometrice adrepartita, et necdum a lignis re-

purgata sunt, non possunt, ut privativae sylvae considerari, lignum in iisdem adhuc praeexistens dominio competit, dispositionibus ceteroquin jam in eo factis, ut talia loca a reperibilibus lignis repurgentur, et bonificatio eatenus colonis praestetur.

e. Damna in sylvis causantes juxta cap. 3. §. 3. — in specie illi, qui ex dominalibus sylvis ligna surripiunt, surrepti dupplicatam taxam solvere debent. Hac poena non correcti, si denuo semet reos faciant, pro ratione circumstantiarum etiam graviori poena, corporali utpote et aresto puniendi. Illi autem qui sine facultate glandinationem fructificant, patratum damnum resarciant, et insuper pro ratione excessus ultro puniantur.

Qui ignem sylvis, vel arundineto supponunt, si convicti sint, quod positivo studio fecerint, qua criminalistae tractentur, quin imo illi etiam, qui id ex inadvertentia committunt, comitatibus sine recipiendae legalis poenae resignentur.

ART. III.

De carbonum exustione sylvis damnosa.

Carbonum exustio est sylvis damnosa, praeterea ordini sylvarum perniciosa, ideo pro carbonibus exurendis dominium fabris ligna gratis suppeditare non tenetur.

ART. IV.

De impulsione sabellicorum ad sylvas qualiter punienda.

Sabellicorum dolosa ad sylvas dominales impulsio, et in prohibititio loco deprehensio dup-

plici pro subditis limitatae glandinationis taxa mulctetur. Urbarii p. 8. §. 10.

Quod si subditus praemonitus ad agros, vel sylvas sabellicos culpose impulerit, trajectio quidem sabellicorum locum habeat, caro tamen trajecti sabellici, vel etiam anseris proprietario restituatur, aut hujus loco bonificatio procuretur. Instr. exeq. mag. cap V. § 30.

SECTIO X.

De miscellaneis objectis urbariale constitutivum sessionale concernentibus

ART. I.

De praxi relate ad constitutivum intravillanum defigendum in comitatu pestiensi locum habente.

Ex praxi in comitatu pestiensi a primordio urbarialis regulationis usitata, cum scitu regulantis comissarii regii factum est propter meliorem colonorum subsistentiam, ut pro singulo colono tam integrae quam et mediae, et $\frac{1}{4}$ sessionis, unum jugerum in intravillanis excisum sit, sed et natura oeconomiae inferiorum partium exigit, cum coloni ob culturam rei pecuariae ampliori area et horto egeant. Sic e. g. in oppido Patay sunt sessiones $97\frac{5}{8}$, pro intravillanis sessionibus sunt 427 jugera assumpta, ubi tamen vigore urbarii tot solum jugera assummi deberent, quot sessiones numerantur; si tamen titulo fundi intravillani pro domibus 427, jugera nonnisi tot, quot integras sessiones territorium constituit, adeoque isthic $97\frac{5}{8}$ assumerentur, tunc ha-

bita etiam 292. inquilinorum domiciliatorum reflexione tantae domus ne physicum quidem spatium in jugeribus 97. habere possent. Ex actis nro. aul. 4465. 1809.

ART II.

Quaestiones problematicae ejectationem constitutivi extravillani respicientes.

1. Proportionem eruere inter praestationes, et onera unius integrae sessionis colonicalis, et inter industriales proventus ex fundis colonicalibus et accessoriis percipi solitos, habita calculi insummendi laboris in fundis extravillanis, necessarii item seminis, cunctarumque erogationum et proventuum reflexione, ita ut penes haec comparatio mutua colonorum unius regionis cum altera relate ad fructum quantitatis vel qualitatis constitutivi extravillani obtutui sistatur, ac una ratio ex majori terreni postfundualis sterilioris extensione, in suo industriae locandae, et fructus percipiendi complexu, quomodo se habeat ad minorem terrarum magis fertilium in extravillanis possessionem, et generatim mutuam colonorum dotationem.

2. Eruere calculum proportionalem relate ad systema constitutivi extravillani pro ratione diversarum partium variantis; ac una cuinam basi, et fundamento innitatur systema ejectationis constitutivi extravillani in tabella generali superius indicatum; ad haec an calculus constitutivi extravillani arithmeticus bilancem onerum, datiarum et praestationum ab una sessione co-

lonicali ferendarum, habita constitutivi quantitatis, qualitatis, et emolumentorum reflexione ubivis sustineat?

3. Quomodo differentia qualitatis relate ad quantitatem extravillani ad aequilibrium reflexe ad onera et beneficia colonos manentia reduci possit?

4. Cur in numero arithmetico urbariali a constitutivo sessionis colonicalis ubivis eaedem datiae et praestationes, non habita eatenus beneficii et maleficii reflexione, ducto praesertim laboris et industriae, fructus item ad invicem calculo?

5. An onera, si ad calculum possessorii fundorum et localium adjunctorum comparative ad systema generale optati aequilibrii defigerentur, per colonos a proportione ferenda — non facilius, et aequabilius designari possent?

6. Quod urbarium, an quippe hungaricum vel banaticum e politico statistico puncto accomodius? anve generatim facta ad invicem combinatione, uniformitas tractamenti urbarialis et qualiter calculo ad specificum reducto adoptanda foret?

ART. III.

De jure excisionis constitutivorum fundorum an ignobili communitati competente.

Cum jus excisionis fundorum ignobili (pagensi vel oppidanae) communitati se solo proprietatem territorii non habenti, sed nec jure hoc de lege aut b. resolutione disertim provisae competere non possit, jus hoc excisionis talium fun-

dorum (aut nondum impopulatorum) dominio unice in salvo relinquitur, ea tamen ratione, ut dum oppidanus vel pagensis magistratus necessitatem excisionis alicujus fundi remonstraverit, eatenus a dominio consensum expetere teneatur, dominium nihilominus jure hoc excisionis ita tantum uti possit, ut illi, ad rationem quorum fundi exscindentur, ad gremium communitatis tam publica, quam communia domestica communitatis onera proportionate supportare teneantur. Ex. nro. aul. 8930. 1806.

ART. IV.

De mutationibus in constitutivo sessionali qualiter admittendis.

Quemadmodum constitutiva sessionalia colonicalia, atque fundi contributionales cum interventu publicae jurisdictionis ad praescriptum b. urbarialis instructionis coaluerunt, ita in his arbitrarias mutationes etiam sub praetextu mutui consensus, quem idem subditus, aut successor ejusdem proxima iterum occasione abnegat, aut sibi praejudiciosum fine obtinendae medelae querulatur, fieri ratio utriusque non admitteret, hinc curandum esse, ne similes fundorum mutationes per abalienationem, aut cambium secus quam cum interventu magistratualis personae, penes ratificationem superioritatis admittantur.

ART. V.

De abaestimatione fundorum colonicalium in Hungaria.

Abaestimatio fundorum colonicalium juxta legis et urbarii provisionem dupplex est, alterius

ordinis ob coloni culpam, alterius autem nobilis gratia.

Abaestimatio coloni causa tunc locum habet, si colonus ad onera publica, et dominalia ferenda sit propria culpa prorsus inhabilis, aut adeo gravium excessuum reus, ut in gremio sustineri nequeat, fundusque contributionalis jacturam pati, et hujus sarciendae causa aliis onus imponi debeat. Jam lex anni 1791 art. 35. quoad amovendos sibi, publicoque graves et inutiles colonos in sustentationem jurium dominalium, et communis boni debitam fecit provisionem. Negotium abaestimationis in sede dominali praesente fisco magistratuali assistente assumendum est, salva semper colono convicto a sententia sedis dominalis ad sedem judiciariam appellata. In locum exaestimati per judicem nobilium et jurassorem alter habilis colonus introducitur, neque abaestimato taliter fundo dominium pro propriis usibus frui potest.

Abaestimatio fundorum colonicalium nobilis causa: sessio colonicalis pro domo residentionali sorte divisionis obtingens a publicis oneribus eximitur, legaliumque curiarum catastro inseritur. 1774. 7ma mart. nro. 1249. In eo tamen omnis vigilantia adhiberi praecipitur, ne quoquo modo praetextuosa aliqua ratione fundus contributionalis ultra debitum, legisque indultum, damnum, et jacturam patiatur.

Abaestimatio sessionum in curiam nobilitarem convertendarum fit, ubi eaedem sessiones pro residentia sunt necessariae, et successores alio possessorio provisi non sunt, primusque si sit di-

visionis casus, tunc est casus abaestimationis apertissimus. Part. I. tit. 40.

Peragitur autem semper cum interventu fisci magistratualis.

Sensus legum de efformandis in casibus divisionum legalibus curiis eo extendi non potest, ut seu uni seu pluribus prolibus plures quam una curia efformari, et appertinentiis dotari debeant, cui jam aliqua in uno possessorio adest curia (aut fundus sufficiens dominalis) colonicalis sessio in altero ejusdem possessorio in curiam abaestimari nequit. Nro. aul. 1222. 1812.

Argumentum proin extendendae oeconomiae, si quippe praestatio colonicalis currulium operarum major sit, quam terrae allodiales in proportione cum operis haud stantes, penes quas dictarum robottarum majori in parte applicandi modus desit, exigere videantur, nihil prorsus in rem opitulari videtur.

Casus sunt, ubi occasione divisionis inter successores institutae, si plures sint, tres e.g. vel quinque, nulla habita sexus reflexione, tunc etiamsi destituantur residentionalibus curiis, pro singulo condividentium colonicalis fundus haud abaestimatur.

Casus, ubi pro tribus successoribus duae mediae sessiones praescriptis sub cautelis sunt abaestimatae, ita tamen, ut haec exemptio nonnisi ad fundum intravillanum utriusque in quaestione positae mediae sessionis extensa intelligatur. Nro. aul. 1634. 1808. Casus, ubi pro 5 successoribus duae mediae colonicales sessiones abaestimari admissae sunt. Nro. 10922. 1808.

Eo tamen de positiva b. resolutione regia occasione tali reflectendum, an remansum subdividendum commune allodiale possessorium adeo exiguae sit capacitatis, ut a ratione inevitabilis cujusvis ex condividentibus necessitatis pro adjustatione portionum fundi etiam colonicales in subsidium vocari debeant; quo scopo semper etiam penes exhitos recursus similes divisionale instrumentum per extensum est exhibendum. Nro. 6116. 1808.

Ex quo cui, quid secundum qualitatem et quantitatem in divisione obtigerit, diserte pateat, ita et quantitas et qualitas elibertandae sessionis remonstranda est. 6104. 1812.

Casus abaestimationales fine obtinendae resolutionis semper altissimo loco substernendi.

Casum adesse, ubi etiam non subversante divisione, remonstrata duntaxat absoluta necessitate $\frac{1}{4}$ sessionis colonicalis per suam Majestatem sacratissimam abaestimari clementer admissa est: 4870. aul. 1808. 8a. apr. Quod tamen, an admitti possit, unice a gratia et clementia caesareo regia dependet.

ART. VI.

De abaestimatione fundorum colonicalium in Banatu.

Quamvis constitutiva sessionalia in banaticis comitatibus ea conditione et praerogativa colonis excisa habeantur, quod dominalis jurisdictio ea nec recipiendi, nec abaestimandi jus habeat, si tamen colonus ad evidentiam nec in statu foret (nec spes adesset) per culturam suorum fundorum obvenientem ipsi ad rationem altissimi aerarii contributio-

nem, et dominales praestationes dependendi, tunc est quidem in libertate dominii, tali colono constitutivum sessionale praemissa legali aestimatione recipiendi, ita tamen, ut constitutivum hoc instantanee alteri contribuentium erga depositionem abaestimationalis pretii, et bonificationem habitarum per priorem possessorem nefors meliorationum cedatur et resignetur. Emptore in casu hoc non reperibili, propter impediendum cassae aerariali per id causandum detrimentum admittitur, ut talis fundus etiam absque abaestimationis pretii depositione alteri habili colono consignetur. Urbar. banat. cap. 1. §. 2.

ART. VII.

De emptione, venditione, et cambio fundorum colonicalium.

Emptio, venditio, aut cambium, generatim abalienatio fundorum ad constitutivum sessionale pertinentium sine dominii indultu sub poena amissionis summae est vetita. In casu ubi venditio colono juxta dispositionem legis libera est, eadem sine scitu dominii institui nequit, poterit attamen etiam absque consensu dominii contractus venditionalis peragi. Urb. p. 8. §. 18.

De libero emptionis et venditionis usu — utrum ly insinuare juxta dominii interpretationem idem sit, ac offerre, liberam emptionem et venditionem fundorum ita sumendam esse, ut nonnisi scienter, sive non occulte, ast cum praescitu, et annutu dominii factae venditiones, et emptiones ratihabeantur, secus initae pro invalidis decla-

rentur, imo taliter ementes et vendentes pecuniam ad mentem b. urbarii amittant. In illis tamen casibus, quibus coloni de lege liberam vendendi facultatem habent, cum praescitu quidem dominii id agere teneantur, vendere nihilominus etiam absque annutu dominii possint. B. resolutio regia die 8. mart. 1770. via Consilii locumt. comitatui Sümegh quoad Szigethienses intimata.

In banatu emptio, et venditio sessionalium fundorum colonis est admissa, ea tamen expressa sub conditione, ut colonus pro facultate eatenus ad dominium recurrat, et emptorem statuere debeat, venditione nunquam admittenda, si non evictum sit, quod novus emptor contributionem altissimo aerario, et dominales praestationes dependere et fundum utiliter colere possit. Cap. I. §. 2. Alteratio constitutivorum, aut cambium, si colonus pro melioratione sui status desideret, dominio terrestrali est admissa, sed tam in hoc casu, quam, ubi abaestimationi locus est, id ipsum comitatui remonstretur, ejusque determinatio expectetur. Ibidem.

ART. VIII.

De fundis colonicalibus per nobiles procuratis, et tentis.

Quoad fundos publicis oneribus semper subjectos, jam vero per nobiles procuratos, et sub eorum possessorio constitutos, qui nempe vi praerogativae nobilitaris, et receptae consuetudinis ab ejusmodi publicis oneribus jure exempti esse praetenduntur, anno 1781. 21. aug. nro. 5464.

resolutum est, ut universi hujusmodi fundi, antea oneribus publicis subjecti, jam vero per dominia terrestralia, et alios nobiles coempti et exempti praeattactis oneribus denuo, ac ea ratione subjiciantur, ut ab iisdem tam publica contributio, cum etiam alia comunia onera adinstar aliorum supportentur, salva ceteroquin nobilium immunitate, et praerogativa illa, ut personalia onera parato redimere possint. Ibidem.

Quaestio an in oppidis residentes nobiles, relate ad colonicales fundos liberae emptioni et venditioni obnoxios, a paritate ceterorum colonorum indiscriminatim contributioni subjici possint? eo resolvenda venit; onera cum similibus fundis connexa esse dupplicia, unius ordinis esse onera dominiis terrestralibus, et internae communitatis necessitati praestari solita, alterius autem ordinis esse onera communia publica.

Onera primi ordinis, quod attinet, ut omnis, qui colonicales fundos possidet, de his dominio terrestrali praestationes suas dependere, quam et ad internam communitatis necessitatem, ut concurrere teneatur, nec dubium esse, quantum vero onera communia publica attinet, praemisso eo, quod cura et vigilantia qualiter dependendae contributionis neutiquam dominum terrestrem respiciat, verum ad partes muneris comitatus pertineat, relate ad quaestionem, an nobiles a fundis colonicalibus per se aquisitis teneantur contributionem dependere nec ne? si parte ex una primo consideretur id, quod dispositiones articuli 6. 1723. 1. 1805. 21. 1635. — 78. 1647. 77.

1715. cunctas nobiles personas, in specie vero in liberis, regiisque civitatibus, et privilegiatis quoque oppidis residentes, quoad personam suam indiscriminatim ab omnibus ferendis publicis oneribus immunes esse declarari praetendantur, secundo quod dispositiones horum articulorum in vago sensu sumptae hinc et inde observari statuantur, videretur iisdem quadamtenus talium a contributione immunitas esse evicta, quod tamen in spiritu praexistentium altissimarum dispositionum regiarum haud obtinet, quin imo ubi id viguit, dispositum est, ut omnes illi tam intra quam extravillani fundi, qui antea oneri contributionis subjecti erant, et per nobiles possidebantur, conscribi, et in tabella dicalis conscriptionis praenotari, sequaciter fundo contributionali reapplicari debeant.

Vineas nihilominus per nobiles tentas, et comparatas, velut juxta b. urbarium ad colonorum dotationem haud spectantes, et in sensu legis penes abaestimationem revindicabiles, eandem conscriptionem dicalem haud subingredi. nro. aul. 1297. 1812.

Quantum denique attinet bona mobilia, cum haec immediate ipsas personas consequantur, in aperto est, absque consensu nobilium ad judicatum senatus, vel sedis dominalis nulla ratione pertrahi posse.

Quantum interim attinet fundos colonicales libera emptione, et venditione comparatos, si certum sit oppidanam aliquam communitatem inde ab antiquitus semet a dominis proprietariis, arendatitio, vel aquisititio, vel utroque nefors jure possi-

dere, et sic singuli domini terrestris jura dominalia et proventus juxta subsistere et conflci solitos contractus jam limitata sint, consequens est, eousque, donec initi tales contractus substiterint, nulli dominio terrestrali jus competere, emptitiis fundis colonicalibus plus juris addere, quam his antea inhaesit; consequenter similes fundi per nudam emptionem naturam et qualitatem suam ad cujuscunque manus deveniant, eam amittere non possint, certum est, quod quali cum jure antea per ignobiles possidebantur, tali jure debeant etiam possideri, si ad manus nobilium personarum eos devenire contingat, consequenter jurisdictioni localis senatus, et sedis dominalis subjacere debeant. Accedere his, quod si sedibus dominalibus sub nomine potioris domini terrestris celebrari solitis reliqui quoque domini terrestres interesse velint, nemo eorum excludi possit.

Casus quoad nobiles, ignobilium fundos colonicales tenentes contributioni subjectos ita sunt plurimi decisi. Nri. aul. 11022. 1803. nro. 6948. 1804. quoad Krapinenses. nris. 10559. 1806. 2676. 6173. 1808. 7034. 1810. (14100. 19. juni 1798) 9052. 1808.

Invalida, et illegalia sunt illa argumenta, quibus plurimi innituntur, quod persona nobilitet fundum adeo, ut quamprimum fundus quiscunque, et quantumcunque dominalis et nobilitaris ad possessorium personae ignobilis devenit, ipso facto contributionis oneri subjiciatur; ita e converso, dum fundus in communitate ignobili, et comitatui tam in contributionalibus, quam et in aliis subjurisdictionata, neque distinctas portas habente

situatus ad possessorium personae nobilis devolvitur, eo ipso a contributionis ad cassam comitatus pendendae onere exemptus evadat; quemadmodum itaque per fundi ejusmodi ad nobilis personae possessorium deventi a contributione exemptionem nec communitati, neque privatis oppidanis quidpiam praegravii, aut praejudicii eveniret, cum ejusmodi fundi onus, occasione publicae repartitionis a tota communitate demi semper assoleat, secus autem, si fundi hujusmodi, qui hactenus quoque a contributione immunes fuerunt, contributioni in futurum subjicerentur, majus utique pro futuro toti communitati accederet onus: dictamine tit. 9. 1. et art. 8. 1741 nobilium a contributione exemptionem roborari, respectu fundorum autem in civitatibus possessorum a communi lege, et nobilitari praerogativa exceptionem solum ad oppida privilegiata, uti illegaliter praetendunt, separatas portas habentia, minime vero ad oppida connumerationem portarum comitatus ingressa in intellectu art. 63. 1723 referi posse; quam tamen differentiam lex non facit.

Jam sub felici regimine piae memoriae Mariae Theresiae complures b. resolutiones regiae emanarunt, quae similes fundos ab anno 1744. a contributione avulsos rursus contributioni subjici praecipiunt, nobiles quippe, qui tales fundos procurant, semper priores possessores repraesentant.

Si processus actore fisco magistratuali contra nobiles fundos colonicales contributioni obnoxios tenentes, et ab iisdem contributionem pen-

dere recusantes, ad dependendam contributionem restantem promoveatur, curandum est, ne partes JJ. sedrialiter mox absolvantur, casus enim adsunt, ubi e processu eveniente eo, quod sententia sedriae intra orbitam actionis ex obtutu denegatae contributionis erectae haud manserit, verum assumpto tam legibus de contributione sonantibus, signanter art. 78. 1647. quam b. resolutionibus regiis nobiles fundos rusticanos citra casum legis et divisionis ad se cum manifesta diminutione fundi contributionalis attrahentes publicis oneribus, et quibusvis praestationibus subjiciendos disponentibus, prorsus contrario principio eosdem simpliciter absolv it, cum positivae b. resolutiones regiae in objectis contributionalibus canali politico interventae via judiciali interverti nequeant, et ipsum etiam systema contributionale, prout et citatus articulus principiis idmodi sententiae adversetur, similis sententia qua extra orbitam b. resolutionum hoc in objecto editarum, erectae item actionis, et determinationis publicae lata cassatur, atque una jurisdictioni concernenti ope b. rescripti regii, vel decreti aulici comitti solet, ut fisco magistratuali ulterior inviatio detur, quo non de illa quaestione, an contributio a talibus fundis partibus in litem vocatis imponi possit, tanquam per iteratas altissimas resolutiones regias in genuino legum spiritu jam superata, verum de eo, ut b. harum resolutionum debitus effectus procuretur, quave poena altissimis jussis se se opponentes plecti debeant, agenda agat, sedria vero eo instruatur, ut

unice super hoc judicium ferat, sententia ante publicationem medio Consilii regii locumt. altissimo loco submittenda.

Radicatur in b. rescripto regio nro. aul. 6948. 1804. et decreto aul. sub nro. 13454. 1813.

ART. IX.

De exercitio jurisdictionis dominorum proprietariorum in nobiles, fundos colonicales cum obligatione tenentes in specie.

1. Si nobilis in fundo rusticano degens, et domino terrestri obligatus deficiat, in substantia ejusdem mobili non fisco regio, sed domino terrestri competit successio; quia art. 62. 1715. in mobilibus personarum nobilium et liberarum fundos rusticanos incolentium solum tunc defert successionem fisco regio, si illae dominis terrestribus nullatenus obligatae sint. Tabula semptemviralis in causa fisci regii ex defectu törökiano. Decisio curialis.

Quamvis in aliquibus oppidis non sit urbario adstricta colonicalis conditio, subjectio nobilium fundos colonicales cum assumpta erga proprietarium dominum obligatione excolentium, relate ad hos fundos jurisdictioni localis dominii, qua foro primae instantiae, non vero comitatensi vigore art. 51. 1791. obnoxiorum, evidens est, namque non urbarium solum, ast in specie fundi colonicalis possessio cum assumpta erga proprietarium obligatione determinat statum jurisdictioni dominali directe subordinatum.

Legalitatem jurisdictionis dominalis in rebus

mobilibus nobilium fundos colonicales incolentium remonstrari etiam inde:

2. Quod dominalis successio in rebus mobilibus ex ipsa natura jurisdictionis dominalis profluat.

Usus immemorialis, pluribus similium decisionum casibus roboratus eveniat.

3. Ex vetusta consuetudine latus est articulus 62. 1715. quoad nobiles in fundis colonicalibus degentes proprietario obligatos.

4. Ubi de exercitio juris dominalis autoritati legis, praxisque judiciariae nixae agitur, per influxum, quem nefors quae jurisdictio comitatus in hanc dominalem, sibi competentem summit, simile exercitium restringere, activitatem comitatensem excedat, siquidem illud partim a foris de proprietate judicantibus, partim a potestate legislatoria dependeat, in reliquo exercitium talis jurisdictionis articulo 51. 1791. restabilitum, adhibito constanter testimonio legali in sedibus dominalibus vigens, comitatus magistratualium inspectionem haud excludat. Et demum ad inducendam quamdam consvetudinem, si haec allegaretur, lex tit. prolog. 11. solam actuum frequentiam requirit, e qua ipsa tacitus consensus nascitur, et dum consvetudo in legalem plane transiit, illa citra violationem hujus tolli neutiquam potest.

Objectio — res mobiles nobilium sequi personas, quemadmodum per articulum 93. 1647. nobilium personae, et res mobiles a jurisdictione civica exemptae sunt, refellitur per id, quod provisio articuli hujus per articulum 20. 1649. et 49.

1681. alterata sit, ita ut executionem in rebus mobilibus idmodi nobilium non comitatenses, ast civici magistratuales peragere valeant.

Relate ad objectionem ex articulo 68. 1715. depromptam, nimirum jurisdictionem cui persona subest, extendi etiam ad facultates ejus, et orphanos.

Evictum est ex articulo 17—1649 neque res mobiles immunitate personae nobilis gaudere, evictum ex articulo 62. 1715. cohaerenter decisioni curiali, nobiles, aliasque liberas personas in fundis colonicalibus degentes dari proprietario domino obligatas, ideoque quoad substantiam mobilem etiam jurisdictioni dominali obnoxias, evictum tandem articulum 68. 1715. inapplicabilem esse orphanis tenuta colonicalia usuantibus. Quod vero ductu tituli 113. I. major reputetur tutela personae, quam bonorum conservatio, inde non aliud consecutione etiam legis deducitur, ac ut potestatem habens gerendae tutelae pater bona quoque pupilli administrare valeat, etsi conditione ignobilis foret, verbo potestas hoc titulo declarata non respicit publicum, at solos tutores, qui repraesentando pupillos nobiles colonicales fundos tenentes, quoad personalia quidem comitatensi, quoad fundos autem rusticanos et res mobiles locali subsunt jurisdictioni; secus casus tutelarum alteraret praehabitam legalem jurisdictionem, quod asseverari nequit. Tutela enim est duntaxat continuatio patriae potestatis. Quodsi ergo pater, materque orphani nobilis praeter personalia, locali parere tenebantur jurisdictioni, tutor quoque, idem praestare tenetur.

Quemadmodum fundi, et cetera tenuta immobilia subsunt jurisdictioni dominali, ita non alia est ratio fructuum abinde perceptorum, comparatarumque exinde rerum mobilium, velut accessoriorum, unde quam evidentissime legis uniformitatem jurisdictionis quoad mobilia etiam sancientis elucescit ratio, fluit inde immediata quasi consequentia, quod dum in talismodi fundis, et tenutis per nobilem personam tentis successores divisionem, aut successionem lite quaerunt, extendant aquisitionem eorum etiam ad mobilia, ut sunt pecuniae, pecora, pecudes, fructus pendentes, instructio oeconomica etc. — quis vero dixerit quoad mobilia hujusmodi illegalem esse judicatum jurisdictionis localis, secus enim successio, aut divisio dupplici processu posci deberet, alio quoad mobilia, alio quoad immobilia, quod legibus ignotum est, et praxi judiciariae.

Liquida quoad debita - praescripto art. 21, 1635 nobiles ratione debitorum in civitatibus contractorum, ibidem respondere debere evidens est; quae lex respectu oppidorum aeque condita. In causa liquidi debiti Judithae Biro contra nobiles Nyary 1784. coram oppidano magistratu Kecskeméth levata: sedria determinavit, iudicatum condescendere, art. 21. 1633. oppidano senatui applicari nequeunte, sed Tabula regia in via appellatae judicatum oppidani senatus et sedis dominalis stabilivit.

CAPUT II.

De pascuo.

SECTIO I.

De pascuo sufficienti colonis assignando.

ART. I.

De pascuo non restringendo.

Pascuum seu cespes in tabella urbariali rubricam non habet; in h. urbario p. 2. §. 3. disponitur, ut pascuum pro pecoribus subditorum in quantum situs territorio admittit, sufficiens ordinetur; ex quo colonis cum praescitu, et indultu dominali pro jugalibus suis partem exscindere, et prohibere licet, ita tamen, ut propria etiam domini terrestris jugalia, nullatenus vero armentalia pecora eodem uti possint, ubi autem pascuum jam alioquin nimis restrictum esset, ibi illud seu dominorum terrestrium, seu vero subditorum facto, nova subaratione, aut alio modo magis non constringatur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

ART. II.

De accomodatione sufficientis pascui.

Quandoquidem circa sufficientiam pascui certa et fixa regula praescribi non possit, cum in omnibus fere locis alia sit ejusdem qualitas, et alia quantitas, aliae item vires sint populi, in

aliis vero locis adsit, in aliis desit huic necessitati succurrendi modus, consequenter ejusdem sufficientia, nonnisi in facie loci per prudens, circumspectum ac discretum arbitrium determinari quiret, ideo exequentes magistratuales pascuum oculate inspiciant, et hanc pascui sufficientiam ductu conscientiae suae, et habita conservandae contribuentis plebis condigna ratione in facie loci ita prudenter ac discrete dijudicent, ut juxta §. 3. puncti urbar. 2. pro pecoribus subditorum in quantum situs territorii admiserit, sit pascuum sufficiens. Ibid. §. 22.

ART. III.

De butiro in defectu pascui haud praestando.

Casu, quo ob defectum realem pascui revera vaccae servari nec possint, subditi a praestatione butiri omnino subleventur. Ibid. §. 22.

SECTIO II.

De extensione, et capacitate pascui a numero pascendorum ibidem jugalium metienda.

Pascua sic dicta communia ad proprietatem dominorum terrestrium pertinent, haec tamen proprietas vi systematis urbarialis eo onere affecta est, quod exinde, prout jam dictum, in quantum situs territorii admittit, sufficienti colonorum pascuo provideri debeat; in quo stricte sufficientia pascui subsistat, qualiterve illud emetiendum sit, id hactenus positive determinatum non fuit, licet in urbario vestigium appa-

reat, quod competentia pascui pro superioribus officialibus dominalibus et parochis ad illam unius integrae sessionis parificanda disposita fuerit.

Quaestio sufficientiae pascui relate ad colonum determinari aliter nequit, nisi quoad numerum pascendorum in communi pecorum certa mensura a proportione sessionum defigatur, mensura autem haec ad omnes regni partes proportionata, generatim ita defigi non potest, ne res agraria, et melior coloni subsistentia ad ferenda onera publica requisita detrimentum patiatur, diversae enim regni partes distinctam etiam culturae fundorum rationem requirunt, cui utique numerus etiam pecorum ad culturam requisitorum diversimode attemperari debet, huc accedit praeexistens, ubi signanter ampla sunt latifundia, hactenus exercitus intertenendorum pecorum pecudumque usus, ad quem eo etiam sub obtutu reflectendum esset, ne hoc per definiendam quampiam genericam proportionem ultra modum restricto, colonorum ex beneficio pascui liberalius participantium sors et conditio onerosior, subsistentia vero, et cum hac nexa contributionis depensio incerta reddatur, et ideo pro diversitate situs, fertilitatis aut sterilitatis glebae, extensionis terreni, vigentis culturam fundorum tractandi rationis, ac denique praeexistentis quoad servatum tam in quantitate, quam in specie pecorum, pecudumque numerum usus, universalis derectiva regula hucadusque defixa non est: communiter tamen sumptis his in calculum pascuum in sensu instr. urbar. cap. V. §. 22. b. resolutio-

nis item die 4. febr. 1767. et 16. Juni 1786. per prudens vicinorum oeconomiae peritorum individuorum arbitrium ita accomodatur, ut facta etiam ad quantitatem graminis, vires item et necessitates tam publicas quam privatas populi, ac conservationem contribuentis reflexione conscientiose determinetur, num relate ad has circumstantias pro singula anni parte, ac pro omni sorte pecorum, et pecudum sufficiens adsit pascuatio.

SECTIO III.

De foenilibus territorio possessionis ingremiatis; communique pascuo.

In foenilibus territorio possessionis ingremiatis, non tamen praedialibus, vel peculiari industria per dominum terrestrem cinctis, postquam cordum aut foenum abvehitur; incolis loci ubique pascuum gratis admittitur. Nro.^s 4285. 1775. — relate ad commune pascuum, simultaneus ejusdem moderatus usus dominio terrestrali ea ratione in salvo relinquitur, ne per excessivum dominalium pecorum, pecudumque numerum commune pascuum quaqua ratione coarctetur, eo minus autem hoc titulo privatisatio terreni pro parte dominii locum obtineat. Nro. aul. 759. 1811.

SECTIO IV.

De jure compascui in banaticis comitatibus.

ART. I.

De dominorum restrictione relate ad indiscriminatum compascui usum.

Jus compascui tam in pascuo constitutivo quam in arvis terrarum arabilium in provincia

banatica, ubi constitutivum pascuum ipsis sessionibus urbarialibus distinctim excissi, et datiis dominalibus, ac contributioni ceteroquin obnoxiis, jugeratim, et quidem ad integram cum 3 — mediam cum 2 — et quartam ac octavam sessionem cum uno jugeris admensum est, ob exiguitatem ejusdem pascui, et pro alendis colonorum pecoribus jugalibus insufficientiam dominiis terrestralibus citra manifestam colonorum injuriam de usu jam recepto nullatenus admittitur, hinc dominium terrestrale ab indiscriminato compascui usu in arvis terrarum urbarialium exercito, vi a tempore incorporationis introducti, et praevigentis urbarialis systematis excludendum est, sique etiam usum evincat, admittentibus adjunctis localibus nonnisi ad proportionatam duntaxat cornuti pecoris et equorum pascuationem, proinde cum exclusione ovium restringendum.

ART. II.

De peculiaribus favoribus subditelae in ampliatione pascui constitutivi in banatu clementer concessis, unice tamen a gratia, et clementia caesareo regia dependentibus.

Tripplicis ordinis eatenus via Camerae regiae hungarico aulicae ad administrationem cameralem temessiensem emanatae b. resolutiones inseruntur.

1. nro. 5776. 1796. 27. april.

Bey der Schätzung der fünf verschiedenen Gattungen von Überlandgründen in Banat, nähmlich 1. jener Gattung Überlandgründe, welche an Gemeinden, oder

Privaten durch öffentliche Versteigerung auf mehrere Jahre in Pacht gegeben worden sind. 2. der Reservats oder Hüttungsgründe. 3. der titulo precarii Gründe. 4. der Bonifications = Gründe, und 5. der Ausschnittsgründe, kömmt es in der Hauptsache auf die Festsetzung solch einer Modalität an, damit auf den Fall der Verleihung das höchste Ärarium nicht verkürzt, zugleich aber auch die Lage der Unterthanen unter den privat Grundherrn nicht mißlicher werde.

Was nun also die 4. und 5. Gattung, nähmlich die Bonifications- und Ausschnittsgründe betrifft, so gehe der höchste Wille dahin, daß diese Gründe, die ohnehin keine beträchtliche Zahl ausmachen, den Gemeinden auch fernerhin unentgeldlich belassen, und selbe, damit nicht etwa der künftige Grundherr unter diesem Titel etwas von den Unterthanen abnehmen könne, der Hutwaide zugeschlagen, bey der Übergabe dieses dem Resignations Instrument ausdrücklich eingeschaltet, der Gemeinde, die es betrifft, darüber durch das testimonium legale eine Zeugenschaft zu ihrer Versicherung ausgestellt, und deßhalb für diese Gründe in der Schätzung auch nichts in Anschlag gebracht werden soll.

Und da im Banat zur Hutwaide nur 3 Joch für jede Ansäßigkeit ausgewiesen sind, mithin in einem aus 100 Ansäßigkeiten bestehenden Orten die Hutwaide in ganzem aus 300 Joch beträgt, dieses Quantum aber besonders wo das Volk zur Industrie geneigt ist, und sich mit der Viehzucht beschäftiget, von zu geringem Belange ist, so geht Seiner Majestät höchste Willensmeinung ferner dahin, daß bey Gelegenheit der Beschreibung eines zur Verleihnng angetragenen Guts ge-

nau erhoben, und angezeigt werde, was die Gemeinde in Concreto an Grundstücken der 1. und 2. Gattung in Pacht genommen habe, wo sodann mit Rücksicht auf die Aushilfe welche die Gemeinde zur gehörigen Betreibung sowohl ihrer Viehzucht, als des Ackerbaues nöthig hat, vorzuschlagen seyn wird, um wie viel die schon vorhandene Hutweide, z. B. wenn sie aus 300 Joch bestände, ob um $\frac{1}{3}$, $\frac{2}{3}$ — oder um ganze $\frac{3}{3}$ aus dem bisher von der Gemeinde um 6, 8, 10 und 15 kr. oder um die Orts klassenmäßige Steuer von 24, 20 und 17 kr. gepachteten herrschaftlichen Gründen zu erweitern erforderlich sey, welche Erforderniß an Gründen in jedem einzelnen Falle zur Erwirkung der höchsten Genehmigung vorläufig hieher anzuzeigen seyn wird, um sonach bey erfolgter Ratification das Nöthige veranstalten zu können, damit diese Gründe bey Gelegenheit der Resignation des Guts der Hutwaide einverleibt, folglich der Gemeinde, ohne daß sie hievon dem Dominio irgend eine Abgabe entrichte, zur Benützung für immer überlassen, und ihr dieser Besitz durch eine darüber von dem testimonio legali auszustellende Zeugenschaft versichert werde.

NB. Diese der Gemeinde zu ihrer bessern Subsistenz, als eine Huttungs-Erweiterung unentgeldlich, auch Grundherrnsteuerfrey erbeigenthümlich aus allerhöchster Gnade geschenkte Gründe, werden mit der Bedingniß übergeben, daß die Gemeinde hierauf keine grundherrliche, und mit denen Gesetzen im Widerspruch stehende Rechte auszuüben befugt seyn solle, folglich nur zu einer Huttungs-Erweiterung und lediglich mit dem Rechte, mit welchem sie auch die Constitutiv-Huttung besitzet, zu verwenden habe.

2. nro. 2569. 1797. 22. februar.

Suae Majestati sacratissimae visum est resolvere, ut terrae (de quibus in priori resolutione agebatur) et fundi imposterum quoque respectivis locorum communitatibus sine onere cujuspiam census, modoque eo, prout hactenus possidebantur, in perpetuum possidendae, et usuandae relinquantur, benignaque haec resolutio regia instrumento quoque illi, quod super resignatis his bonis conficiendum erit, cum specifica deductione praeexpositorum agrorum et fundorum per expressum inseratur, ac tandem singulis communitatibus super suis idmodi fundis et agris seperatum instrumentum pro futura et plena eorundem securitate (quod quippe nullo unquam tempore tales fundi datiis dominalibus subjicientur, sed iidem titulo adjutae, quasi pascuum usuabuntur) deserviturum, medio comitatensis testimonii ad exigentiam altissimae resolutionis regiae sub 27. april 1796. nro. 5776. intimatae extradetur.

3. nro. 1572. 1799. den 30. Jäner.

Um dem Systeme treu zu bleiben, welches bey den zu verleihenden banatischen Cameral-Gütern festgesetzt worden ist, daß nähmlich denen Unterthanen die Bonifications- und Ausschnitts-Gründe durchgängig, von den Überland- und Reservats-Gründen hingegen so viel, als sie nach Verhältniß ihres Viehstandes, und ihrer Industrie bey der Viehzucht bedarfen, unentgeldlich überlassen werden sollen, haben Seine Majestät nachträglich gnädigst zu befehlen geruhet, sich künftig pro regula zu halten, daß in allen Verleihungs-Fällen, mithin

auch da, wo eine donatio pura eintritt, die zur besseren Subsistenz der Unterthanen für die Erweiterung des Viehstandes und Industrie erforderlichen Gründe noch vor der Übergabe der Güter, und Ausfertigung der Donation bestimmt und berichtigt, so fort ihnen unentgeldlich überlassen werden sollen.

NB. Ab his in ampliationem pascui unice e gratia Majestatis sacratissimae cedi et resignari solitis fundis, contributio dependitur ad cassam comitatus, velut ab accrescentia fundorum colonis cessa, quibus onus in banatu inhaeret; factis penes eandem administrationem temessiensem iis ordinibus, ut occasione resignationis talium bonorum relate ad quaestionatos fundos respectivis comitatibus reflexe ad contributionalis quanti augmentum concernentes comunitates mansurum officiosam det notitiam, unaque consignationem talium fundorum in specifico adpromptatam pro cinosura defigendae summae contributionalis subservituram adnectat.

SECTIO V.

De emensione pascui in nonnullis locis qualiter peracta.

a. Pro una integra sessione incolarum kabajensium ad dominium Derecske spectantium in comitatu bihariensi pro pascuo fixo emensae sunt 18104. orgiae quadratae et sic a proportione. — Nro. aul. 11101. 1809.

b. In dominio Nagy Bajom aeque in comitatu de Bihar titulo puri et usuabilis pascui communis 2263. jugera remanserunt ea ratione, ut seu a

ratione praeexistentium occasione executionis urbarialis 17 sessionum seu cum instituta dimensione a ratione erutarum 66 sessionum quantitas pascui in 660 jugeribus assumatur, competentia ejusdem sat superque abundans sit, eo magis, quod terreno bajomiensi ad tres calcaturas subdiviso, atque una totius terreni parte pro arvo annue relicta existente, notabile pascuum praebeatur. Nro. 17566. 1811.

c. In dominio Mako ad singulam sessionem pro pascuo obveniunt 25 jugera.

d. In Magyar Kakuts pascuum commune in comitatu Bihar ita excisum est, ut praeter arvum post singulam sessionem colonicalem terra 12 cubulorum capax exassignetur. Nro. 31918. 1812. locumtenentiali.

e. In bene regulatis cameralibus, ac aliis dominiis competentia pascui relate ad unam integram sessionem colonicalem in sex mille quadratis orgiis defigi consvevit.

f. In dominio Vaiszlo, signanter possessionibus Vaiszlo, Hidvég, Samod Besentze, et Paprad in comitatu baranyensi, sylvarum regulatione ordinata et approbata, siquidem pascuum possessionum harum in sylvis existat, ad unam integram sessionem obtingentia capacitatis pascui facit 25 — 30 — 35 jugera, — in ceteris dominiis calculo ad regulationem sylvarum habito 9—10 — ad summum 12 jugera ex pejoris qualitatis pascuo assignata sunt. Nro. 9627. locumtenentiali 1812.

g. In possessione Papocza comitatu Castrifer-

rei, ubi 31. integrae sessionis coloni sunt, juxta dimensionem geometricam pascuum commune facit 2246 jugera - vervactum 1153. et prata 602 jugera, in concreto 4001. nro. locumt. 22284. 1812.

h. In oppido Sard comitatu de Sümegh commune pascuum pro singula integra sessione 10 jugera a 1200 orgiis □ calculando efficit relate ad 34 sessiones 355; sub quo numero pascuum etiam inquilinis exassignatum continetur. Nro. locumt. 155. 1814.

SECTIO VI.

De pecorum, et pecudum numero ad pascui usum servando.

ART. I.

De aequiparatione dominalium officialium in servando pecorum numero cum colonis.

Benigne resolvit sua Majestas sacratissima, ut numerus pecorum ac pecudum pro officialibus et servitoribus dominalibus expresse determinetur, taliterque statuatur, ut quilibet superiorum officialium haud majorem quam colonus integrae sessionis numerum ad pascui usum servet, inferiores vero officiales ac servitores, nec non ludimagistri colonis mediae sessionis aequiparentur, neque ulli eorum licitum sit, pro aliis quam propriis pecoribus communi pascuo uti.

Instr. exeq. mag, cap. V. §. 22. Item instr. commissar. regior. p. 46.

ART. II.

De modalitate medium eruendi relate ad numerum pecorum servari admittendum.

Cum numerus pecorum aut pecudum pro hac vel illa sessionalium subditorum qualitate nondum determinate definitus habeatur, exequentes magistratuales in singulo loco sex integrae sessionis colonos, aut si forte non existerent, sex mediae sessionis, et a proportione existentiae inferioris etiam qualitatis colonos, expediente ad rem declaratione, de habito quoad singulum pecorum, pecudumque numero examinent, erutoque ex his fassionibus medio, semper tamen ad conservationem contribuentium librando, determinent, quot in singulo loco pecora et pecudes quilibet tam superior, quam inferior officialis dominalis, servitor item, ac ludimagister alere possit, ea quidem ratione, ut pro superiori officiali dominali reflexe ad sex integrae sessionis colonos erutum medium, pro inferioribus vero officialibus, servitoribus, et ludimagistris quoad sex mediae sessionis colonos erutum medium, in utroque casu unam duntaxat sextalitatem statuant, atque hanc determinationem cum rationibus pro impertienda desuper resolutione fundamentum praebituris comissario regio transmittant. Ibidem.

D e n u m e r o p e c o r u m e t p e c u d u m r e l a t e a d c o m m u n e p a s c u u m r e g u l a n d o.

Deputatio regnicolaris 5 classes statuit, in 1. classe, ubi terrenum ita comparatum est, ut ejus minimum tertia pars commune pascuum usuabile constituat, 30 pecudes, — in 2. classe, ubi commu-

ne pascuum ibidem usuabile haud infra quartam terreni partem efficeret, 25 pecudes — in 3. cl. 20. — in 4. 13. — in 5. 10. (ubivis inclusa succrescentia, et proprias coloni, et inquilini pecudes intelligendo) una sessio habere, tenereque in diametro possit.

ART. III.

De restrictione officialium in usu pascui ad loca sui domicilii, et speciem alendorum pecorum.

Sua Majestas sacratissima b. vult ordinare, ut officiales dominales extra locum destinati sui domicilii favore hujus concessionis extensive ad alia loca uti nequeant, et ad illam duntaxat speciem alendorum pecorum ac pecudum restringantur, cujus nempe usum ipsi subditi locales obtinent, denique ut pecora sua nec in privato pascuo alant, verum cum communitatis pecoribus, sub custodia communitatis pastoris ipsa pascantur. Ibid. instr. exeq. mag. et commiss. reg.

ART. IV.

De numero pecorum et pecudum parochis, ministris, et popis ad usum pascui admisso.

Quia publica notorietate constaret, quod parochi, ministri, et popae locorum, tam cum dominorum terrestrium, quam etiam contribuentium incommodo, et dispendio, hic et ibi excessivum asservare soleant tam cornutorum pecorum cum ovium numerum, hinc ut ab eo excessu efficaciter arceantur, b. resoluit sua Majestas sacratissima, ut omnis religionis parochis idem qui superioribus dominalibus officialibus numerus pe-

corum et pecudum superius praescripto modo determinetur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

ART. V.

De numero pecorum inquilinis admisso ad usum pascui.

Inquilino in locis illis, ubi largum aut abundans pascuum non est, non major, quam octalistae numerus et quidem propria duntaxat pecora in pascuo servare admittatur, attenta eadem, quae superius praescripta est, modalitate, in locis autem abundante pascuo provisis major etiam numerus pro arbitrio commissarii regii absque restrictione immediate praemissa inquilinis concedi poterit. Ibidem.

ART. VI.

De usu pascui communis incolis quaestum cum pecoribus exercentibus haud gratis admittendo.

In quantum quidam incolarum cum pecoribus quaestum in genere duntaxat pro dica contributionis assumi consuetum exercerent, adeoque ab ejusmodi quaestuariis pecoribus ultro citroque depulsis in peculiari contribuere minus solerent, aequum esse omnino, ne ejusmodi pecora et pecudes dicas in particulari minus subingressa incolae cum his quaestum exercentes in communi pascuo gratuito alere admittantur, verum ad procurandum pro his alia ratione pascuum adigantur. Ibidem.

ART. VII.

De invagiatione pecorum et pecudum in sensu legis.

Circa abactionem, et invagiationem pecorum est provisio legis art. 42. 1729. ne extorsio-

nes occasione invagiationis, illegales per dominos terrestres a colonis exigantur. Circulariter item eodem anno 31. Mai. nro. 3128. comitatus moniti sunt, ut excessibus dominorum terrestrium hoc in objecto invigilent.

Urbarii p. 8. §. 1. 2. praecipitur, quoad invagiationem pecorum damna in agris causantium legis provisioni insistendum esse, neque mulcta propterea pecuniaria colonis dictetur, nisi in praesentia testimonii comitatensis, salva ad sedriam appellata. Part. III. tit. 33.

Relate ad processus invagiationum et abactionum sunt art. 94. 1715. et 42. 1729.

ART. VIII.

De ovibus colonis servari admissis.

In locis, ubi pascuum sufficiens est, tam pro cornutis pecoribus quam etiam ovibus, subditi a servandis ovibus arceri non possunt. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22. atque adeo ab eo, quod in melioris eorundem subsistentiae alleviamen de justo et aequo vergere posset, quaqua ratione non impediantur. Dominis terrestribus integrum non esse, ut aut subditos a servandis ovium tuguriis inhibeant, aut vero eosdem ad oves in tuguria dominalia depellendas adstringant, verum contribuentibus liberum esse, oves suas seu domi, sive foris in propriis tuguriis servare; ad praecavenda nihilominus damna per frequentiorem saepium mutationem in sylvis causanda id observandum venire, ut pro necessitate tuguriorum, cingen-

disque per tempus nocturnum ovibus crates portatiles ex asserculis, aut palis conficiendas tuguriorum hospites stabiliter servare teneantur. (Relate ad comitatus Sárossiensem et Scepusiensem nro. 1324. 1776. 7. mart.)

Quoad ovium decimationem, agnellorumque nonationem vide tractatum sub nona, sect. VI.

ART. IX.

De privatis colonorum pastoribus tollendis.

Cura in eo adhibeatur, ut privati colonorum pastores tolli, communitatumque greges in unum ubique cogi possint. Ibidem cap. V. §. 22. Instr. comiss. regiorum §. 47.

ART. X.

De caprarum asservatione.

Ubi nullae sylvae praesertim succrescentes, in quibus caprae damnum causare possunt, praeexistunt, ibi caprarum intertentio haud esse prohibita intelligitur, et haec b. suae Majestatis erga resolutionem anni 1778. ut nullus absolute quocunque sub praetextu, et simulatae necessitatis velo caprarum multiplicationem, atque eas pascendas, servandasque attentet, modificatio sub 2. octobris 1783. nro. 9526. circulariter per regnum publicata est. — Caprarum impulsionem in sylvas generaliter tam dominis terrestribus, quam et subditis interdici, si tamen dominia et communitates pro oeconomia sua necessarias intertenere vellent, plaga pro pascuo exscindatur. nro. 17789. 1797. vide artl. 21. §. 7. anni 1807.

SECTIO VII.

De communi usu pascuationis et lignationis plures compossessores dominos terrestres, eorundemque colonos respiciente.

Adsunt exempla, ubi in donationalibus regiis, et consensualibus usus pascuationis et lignationis in sylvis ad aliquod dominium, cujus plures compossessores sunt, spectantibus etiam pro colonis in collatis portionibus habitantibus collatus est.

Solent tamen coloni in recognitionem juris dominalis a pascuo tali unum laboratorem suppeditare, et insuper urbariale butirum proprio suo domino praestare.

Quaestio haec, an usus talis pro censualistico, vel vero urbariali censeri debeat, praesertim si illa unius laboratoris praestatio urbarialibus executionalibus testimonialibus inserta non sit, opinione nonnullorum semper pro urbariali, rectius tamen usus hic pro censualistico, pro urbariali autem erga praestationem butiri velut datiae urbarialis reputandus est; observandum vero, quod nunquam potiori dominio terrestrali, salvo systemate urbariali admitti possit, ut colonos comportionatorum e beneficiis ab olim, et ante etiam urbarii introductionem in communione cum reliquis coincolis usitatis excludat. Verum si quae occasione introducti urbarii pro parte potioris talis domini terrestris stabilita est praestatio, coloni eatenus obligationi satisfacere, dominia vero eosdem in usu communium cum aliis colonis

beneficiorum anteurbariali relinquere tenentur. 2708. 1796.

Quaestio sufficientiae, aut insufficientiae pascui, et colonorum tam propriorum quam et comportionatorum, et a lignatione certarum sylvarum exclusionis coram sedria est pertractanda, eo magis quod nullum juribus potioris domini terrestris inferatur praejudicium, sed id duntaxat fiet, quod comportionatis dominis terrestribus inter se dissidentibus de lege fieri oportet, $\frac{1375}{1470}$ 1794.

SECTIO VIII.

De practico casu regulationis pascui ducto ad numerum intertenendorum pecorum calculo.

Ex nro. locumtenentiali 6926. 1792. processu urbariali oppidanorum veszprimiensium.

Ovibus gremialium nobilium, salvo tamen jure curialistarum, ita etiam capris pro cassatis ac penitus abrogatis una cum subditorum declaratis, quoad jugalia aliaque necessaria pecora, proportionem a paritate beneficii educillaris, pro norma introducendae inter nobilitatem, ac oppidanam communitatem proportionis assumpti districtim observandam venire, ita nimirum, ut necessaria pecora et pecudes per communitatem nobilem in una, per ignobilem vero seu contribuentem communitatem in duabus tertiis a modo imposterum in communi pascuo interteneri debeant.

Numerum pecorum pecudumque contribuentibus oppidanis e re publici necessariorum taliter

definiri. Excussis 3. annorum dicalibus conscriptionibus, sign. anni 1780. 1789. et 1791. ductoque ex iisdem calculo prodiret nrus. boves 56 — equi 133. vaccae 103. juvenci 26. vituli 7. hinnuli 7. setigeri 18. Ex reflexione ea, quod oppidum Veszprém sit locus transennis, variisque praejuncturis continuo quasi obnoxius, adeoque ad sustinenda duntaxat facilius publica onera, pecora designata in duplum elevata defigi, setigeros autem 18 ad 100 elevari, et sic numerum pecorum in communi pascuo intertenendorum in 674. defigi, huic summae numero pecorum gremialibus nobilibus in $\frac{1}{2}$ competente cum 337 adjecto, prodire integralem numerum cum 1011.

Ad sustentationem hujusce pecorum quantitatis, juxta generalem ideam, etiam per decisiones curiales approbatam, pro uno quovis pecorum frusto 3 jugera urbarialia, 2 metretarum posoniensium capacia, adeoque pro 1011. pecoribus 3033 jugera determinari, juxta dimensionem autem pascui quantitas facit 4222 jugera, adeoque superfluitas remanet in 1189. per consequens nec extirpaturas inde ab anno 1749. — (quo scilicet urbarium per sedriam elaboratum, et per Curiam regiam adprobatum introductum est, in processu quoque novi reproductum, per quod ne quartalitatem quidem oneris ferunt, quod eosdem ex universali theresiana urbariali regulatione manere deberet) — ex pascuo communi avulsas ad idem amplius reapplicari necessum esse, multo minus ex praedio Jutas quidpiam ad constitutivum pascui adjiciendum venire.

CAPUT III.

De extirpaturis.

SECTIO I.

De statutis comitatuum extirpaturas ante urbarialem regulationem concernentibus, harumque a subditis recipiendarum procedendi ratione.

1. In Nitriensi comitatu, reflexione habita tituli 30. partis 3. et artli. 58. 1635, determinatum erat, ut capacitas metretae posoniensis a tempore extirpationis ad annos 12 considerata ita quidem, ut si 12. annos superaret, a modo imposterum a fl. 3. — infra 12 annos vero a fl. 4. — pratum autem falcatoris unius similiter ad fl. 4. observetur, hocque modo merces laboris, et pretium comperiendae nefors fimationis rustico, aut cuicunque possessori pro exigentia citatarum legum recompensetur, contra quosvis vero dominos terrestres dispositioni huic contravenientes, velut miserae plebis oppressores, actione fiscali animadvertendum esse.

2. Poson. comitatus nullum statutum habuit.

3. Neque Tornensis comitatus.

4. in Trenchiniensi occurrentes tales casus, nullo eatenus statuto existente, ad praescriptum legis pertractari, et per comitatum judicari solere.

5. In Csanadiensi in usu extirpaturae non sunt, et ideo etiam statuta nulla.

6. In Békessiensi nulla statuta.

7. In Thurocziensi extirpaturae pro futuro vetitae, a praeexistentibus census seminaturae approportionatus penditur, dum per dominia recipiuntur, labor praemissa aestimatione solvitur.

8. In Csongradiensi nullas exstare sylvas, adeoque nullas dari extirpaturas.

9. In Bereghiensi nullae fieri solent extirpaturae, contribuens alioquin miser.

10. In Veszprémiensi comitatu.

a. Quoad fundos arabiles extirpatos. Antiquatae extirpaturae (vel de manu in manum ita devolutae, ut actualis possessor absque ullo mercedis, aut fatigiorum concursu eas teneat) nonnisi tales esse censentur, quarum aetas humanam memoriam transcendit et nec literali documento pro talibus remonstrari queunt, aut vero jam antea sessionales effectae sunt, id est facto aut consensu colonorum ob antiquitatem, aut exiguitatem extirpationis inter colonos divisae, et ad sessiones applicatae, et tales absque ulla solutione pro constitutivo imputatae erant.

Per octo liberos inseminationum annos a prima inseminatione computandos, quaelibet extirpaturae satis compensatae habentur, et ideo in gremio comitatus hujus evolutis libertatis annis extirpaturas dominis suis coloni gratis resignaverint, aut in sessionalem competentiam imputari admiserint, et sic extirpaturae, quae tot annis liberae non fuissent, a proportione annorum bonificatae esse censentur.

b. Quoad fundos extirpatos pratorum, aliam esse talium considerationem, quam

terrarum arabilium, licet enim propter extirpanda prata libertatis anni concedi non soleant, possidentur tamen cum libertate, cum ex illis terragium nullum pendatur, et extirpatum pratum unice extirpanti fructificet; praeterea extirpationes pratorum non fiunt tam improbo labore, ut terrarum arabilium, siquidem in casu priori eradicatio et evulsio radicum arborum necessaria non sit, sed sufficiat arbores, in quantum e terra prominent, exsecare, in posteriori autem plenaria eradicatio summe requiratur.

11. In Sárosiensi legis provisionem tit. 30. partis 3. existere.

12. In Szatmariensi, ab extirpaturis, in sylvis factis immunitas septem annorum conceditur, evoluto hoc termino ab illis nona domino penditur, a terris, ex spinetis plus quam nemoribus extirpatis immunitas 3. annorum datur, hoc evoluto terrae eaedem liberae dominii dispositioni subjacent.

13. In Aradiensi necessitatem condendi statuti non adfuisse, existere provisionem legis.

14. In Szabolcsiensi, non secundum statuta, sed secundum leges extirpaturae pertractandae.

15. In Gömöriensi statutum nullum vigere, verum pro varietate minorum aut majorum impensorum laborum pro cinosura optima deservire bonam conscientiam.

16. In Strigoniensi nullum statutum, neó elaborata deputationis statuta sunt. 1mo ab anno inchoatae extirpationis ad annos 12. pro singulo

jugero terrarum, et singulo falcastro prati singillative 2 fl. exsolvi debeant. 2do pro extirpaturis annum 12. excedentibus usque ad annos praescriptionis medietas mercedis, id est 1. flor. extirpanti dependatur. 3tio extirpaturae penes scriptam conventionem, et indultum dominalem procuratae, in conformitate conventionis tractentur 4to extirpaturae annos praescriptionis excedentes tanquam solo nomine tales, laborum mercedem per diuturniorem usumfructum abunde compensatam nullam obtinere valeant.

17. In Mossoniensi nec statutum, nec usus.

18. In Zempléniensi non statutum sed leges regni observari.

19. In Bacsiensi nonnisi exiguas admodum ad rippam danubii sitas haberi sylvas. et ideo extirpaturas fere nullas dari, tantumque abesse, ut merces pro iisdem quaepiam postularetur, ut potius praeter laborem in extirpationem gratuito impendendum, colonus ad pretium pro exscindendis arboribus lubenti etiam animo persolvendum paratus foret, unde factum, ut in comitatu hoc nulla eatenus sint statuta, nullaeque extirpaturarum classes constitutae.

20. In Sümeghiensi, 1mo fundi pro extirpatitiis non censentur illi, qui colonis extirpantibus e loco migrationis de manu in manum ita devolvebantur, ut moderni rustici possessores extirpaturas ab aliis derelictas, absque ullo mercedis, aut fatigiorum concursu, et investitione tenent, 2. Fundi, qui paulo post recuperatum victricibus armis comi-

tatum hunc, seu subsequa annorum serie extirpati, et successive sessionales effecti sunt, naturamque extirpationis non retinuerunt, ut intimatum sub 30. octobris 1766. sonat. Extra haec principia certa, si inter dominium et subditum quaestiones coram judice aestimante insuperabiles eveniant, incumbit dominio proba, quae probae cum opinione judicis procedentis decisioni comitatus praevie ante effectum substernendae erunt.

Quoad fundos pro extirpatitiis censendos. 1. Qui ad praemissa certa principia vel probam sessionalis appertinentiae deduci non possunt. 2. Illi, qui ad certos annos libertatis, rusticis extirpandi scripta conventione indulgentur, qui expletis annis libertatis ad dominium absque pretio redeunt.

Unum jugerum terrae arabilis extirpatum aestimatur ad 4 fl. Pratum unius currus capax ad 3 fl.; hac cum consideratione, quod post triennium (intra quod rusticus gratis possidet) primo praecedens ususfructus quantitas conscientiose erui debeat, et si mercedem insumpti laboris adaequet, terram gratis ad dominium redire debere; si vero ab adaequata mercede laboris compensatione quid deesset, illud a dominio praevie bonificandum.

21. In Comaromiensi. Ab extirpatitia terra unius metretae posoniensis, seu medii jugeri capace per rusticum septem annis possessa fl. 2. — ultra ad annos 14, — fl. 1 d. 50. — supra 15 vero nonnisi denar. 75 per dominos terrestres in sortem promeritae mercedis laboris subditis

suis dependantur, taliterque huiusmodi terrae ab iisdem per dominos terrestres recipi possint.

22. In Pestiensi nulla statuta esse, raro extirpationis casu oriri queunte.

23. In Jaurinensi ob sylvas exiguas statuta nulla, conventionem in reliquo inter redimentem et extirpantem obtinere locum.

24. In Zoliensi articulum 58. 1625. observari.

25. In Ugocsiensi legi insistitur, statutum tamen, ne imposterum ulli subditorum citra praescitum domini terrestris et consensum extirpaturas has extraneis vendere, et abalienare licitum sit.

26. In Szaladiensi: Conventiones obtinere locum, ad 6. 8. 10. etiam 12 annos immunitatem concedi, libertatis annis effluxis, dominus extirpaturam in suos usus convertere volens pro singulo jugero terrae I. classis, 4 — II. 3. III. 2 fl. extirpanti numerat; in reliquo dari et tales conventiones, potissimum apud pauperiores colonos et nobiles, ut in augmentum oeconomiae suae ab omni censu exemptum extirpaturae usum capere valeant, e sylvis terras arabiles, — et prata extirpare, illaque demum pactato annorum numero elabente, citra mercedem proprietario domino resignare soleant, perceptis conventorum annorum intervallo fructibus totam laborum suorum mercedem compensandam experti, adeoque plene contenti.

27. In Bihariensi eam ab antiquo esse consuetudinem, quod in levioribus extirpaturis 5 —

in gravioribus sex — in gravissimis septem anni continui, ab omni datia dominali liberi extirpantibus per dominia concedantur.

28. In Castriferrei nulla esse statuta, sed eam consvetudinem, quod domini terrestres extirpaturas cum praescitu dominii factas, a quibus census aut terragium aliquod praestitum est, dum et quando singulum jugerum erga 4 fl. titulo mercedis exolutionem ad se recipere potuerint, usum tamen vigere etiam, ut easdem extirpaturas post 3—4 aut 5 procreationem absque ullo censu per colonum perceptam, ab eodem receperint.

29. In Sopronienși nulla statuta, sed secundum decisiones Curiae regiae et praxim communem jugerum quodvis 2 cubulorum capax per dominia 4 flnis. redemptum fuisse, mercedemque isthanc nulla seu qualitatis terrae, seu insumpti in extirpando laboris habita reflexione colonis numeratam extitisse.

30. In Borsodiensi nulla statuta exstare, eam tamen consvetudinem obtinuisse, ut pro qualitate extirpaturarum et laborum competentes immunitationis anni colono concedantur, quibus elapsis labor pro compensato habetur, ubi vero dominus ante conventos annos a colono extirpaturas recipere vellet, casum in hunc diuturna merces iisdem aestimatione mediante parato exolvitur.

31. In Hevessiensi. Immunitas annorum labori et fatigio extirpandae terrae adproportionatorum concedi solet, ita ut cuique ex ipso terrae fructu, quem sine nonae et omni alio penso privative solus capit, sua merces obtingat.

32. In Scepusiensi: — legis praescriptum in usu esse. Annis libertationis concessis, in reliquo conventiones locum obtinere; pignorum vero extirpatorum tempore reluitionis praemissa aestimatione judiciali mercedem laboris adjustari.

33. In Albensi. Extirpaturarum merces a jugero pro ratione laboris in uno — 2—3 et 4 fl. defixa, habita tamen reflexione indultae per dominia libertatis annorum ac beneficiorum ex extirpatura perceptorum.

34. In Abaujvariensi legis provisionem stare.

35. In Neogradiensi ab extirpaturis 12 annos transcendentibus et quidem pro uno jugero unus imperialis, pro prato vero unius falcastri unus florenus titulo mercedis solvitur, antiquiores porro annis 12 refusioni mercedis haud subesse.

36. In Marmarossiensi nulla statuta, colono tamen liberum intra ambitum dominii extirpaturas facere, easque quoad ipsi libuit, possidere.

37. In Honthensi anno 1694 statutum, ut quaelibet particula seu jugerum terrae 2 integrarum mensurarum Batthensium, vulgo Bathi fertály dictarum capax pro 1 rfl. aestimetur, eodem modo etiam pratum unius diei falcationem complectens in aestimatione unius floreni valorem habet. In praxi autem esse, ut terra extirpata 1 metretae posoniensis capax ab 1 fl. pratum vero unius falcatoris a fl. 2. exolvatur.

38. In Baranyensi statuta nulla, verum comitatu hoc e jugo turcico liberato, per popu-

lum adventantem extirpaturis factis, et in sessiones redactis, easdem omnes occasione urbarialis regulationis conscriptionem et tabellas ingressas esse; pro futuro vero, si quae extirpaturae fierent, legalem dispositionem observatum iri.

39. In Tolnensi nulla statuta.

40. In Barsiensi statutum 1725, ut pro una posoniens. saponis terra, aut unius falcatoris prato, legitimato praevie ejusdem statu extirpationali 12 annos non excedente, adeoque intra illud temporis spatium nullo adeo nominatiori ex extirpatura in colonum emolumento redundante fr. 3. titulo remunerationis laborum numerentur, pro extirpaturis vero 12 annos transcendentibus, per diuturniorem usum possessori abunde fructificantibus 2 fl. exolvantur.

41. In Lyptoviensi nulla statuta, praxim tamen esse, ubi extirpaturae ex indultu dominii fiunt, easdem evoluto triennio citra ullam ulteriorem recompensam dominos terrestres recipere consuevisse.

42. In Arvensi pro ratione laboris et fatigii extirpantibus 3, 4, vel 6 annorum immunitatem concedi solere.

SECTIO II.

De applicatione extirpaturarum in sessionales appertinentias.

ART. I.

De earundem in sessiones applicatione sub ipsa urbariali introductione.

Extirpaturae non alias possunt applicari sessionalibus constitutivis, quam si prius dominium mercedem laboris solverit. Urbar. p. 2. §. 2.

Circa extirpaturarum redemptionem b. constituit sua Majestas sacratissima, ut pro emergente ejusmodi casu, ac coloni nunc occasione introducendae urbarialis regulationis pro redintegratione sessionalium appertinentiarum suarum plures a domino terrestri terras exoptarent, dominus terrestris vero conformitate etiam b. regulationis ex desertis, praesertim vero extirpaturis id facere non abnueret, id ipsum semotis quibusvis difficultatem parere queuntibus circumstantiis e vestigio effectui mancipari valeat ea ratione, ut exequentes judices ejusmodi extirpaturas pro redintegratione sessionalium appertinentiarum de praesenti applicandas a quantitate et qualitate impensi laboris aestiment; quid dominio a singulo earum jugero hactenus praestiterint, rite expendant, ac ita factam conscientiosam aestimationem comitatui exhibeant, ut demum eadem per sedriam revisa et per comissarium regium post factam sufficientem rei investigationem, nulla difficultate posita, hoc modo aestimatae extirpaturae quamprimum in adjustationem sessionalium terrarum connume-

rari, et cum ceteris in tabellas urbariales (peculiari illic cum adnotatione, quod ex extirpaturis id ipsum colonicalibus sessionum terris accesserit) inseri valeant. Laboris autem merces pro hujusmodi in redintegrationem sessionalium terrarum impendendis extirpaturis justa aestimatione illico subditis refundatur, haec tamen extirpaturarum applicatio generatim nonnisi comitatibus per comissarium regium regulandis in praesentiarum admittitur. Instructio pro comissariis regiis in re urbariali ad comitatus exmissis puncto 48. — Eadem verba continet instructio exeq. mag. cap. V, §. 30.

ART. II.

De extirpaturarum redemptione extra urbarialis regulationis casum.

Quodsi in futurum extra praeallatum urbarialis regulationis casum domini terrestres a colonis extirpaturas usuantibus illas recipere cuperent, disertis verbis tam dominis terrestribus, quam etiam subditis declaretur, et quam exactissime observandum injungatur, quod extirpaturae non aliter expost redimi possint, quam harum prius conscientiosa fiat aestimatio, eidem tamen dehinc citra scriptam supremi vel vice comitis commissionem manus non admoveatur, peracta vero aestimatio non secus quam per sedriam revidenda, et via Consilii regii locumt. suae Majestati sacratissimae repraesentanda, ac subsecuta demum suprema resolutione regia locum obtineat, leges autem justi et aequi in his judicandis, ut accuratius observari queant, — ma-

gistratualis aestimationem faciat, simulque exacte investiget, et fidedigne semper referat.

1mo Quantitatem et qualitatem impensi laboris extirpaturarum, de quibus quaestio est:

2do A quot annis colonus earundem usum habuerit? quid dominio a singulo jugero dependerit? an conscriptionem comitatensem ingressae, aut secus pro objecto contributionis computatae fuerint? Ibid. cap. V. §. 30.

ART. III.

De libertationis et immunitationis annis in fundis extirpatitiis.

Si praeterea quipiam libertatis anni in terris extirpatitiis fuisse praetenderentur, libertatio illa, dum quis initio caeptae extirpationis nihil praestitit, ab ea libertatione dum extirpatura in statu suo jam consistente colonus quoad canonem ipsum, seu conventam annuam obventionem immunitate quapiam gavisus erat, distinguatur. Quod igitur primam libertationis classem respicit, evidens esse, quod quemadmodum initio fructus pro ratione terrae extirpandae aliquo tempore vel nulli, vel pauci admodum percipiuntur, ita libertatio pro hoc tempore suapte consequatur, atque adeo colono quoad mercedem laboris supputari nihil possit, cum extirpandae terrae alioquin nihil utilitatis proferant.

E converso circa alterius ordinis libertationem; quippe, si extirpatura jam parata a conventa obligationis praestatione immunis mansit, dominium juste exigere posse, ut hujusmodi immuni-

tationis causa computus fiat, et in mercedem laboris colono persolvendam imputetur. Quod ipsum generaliter intuitu omnium extirpaturarum, quas dominia terrestralia recipere vellent, quam exactissime observetur, et pro regula teneatur. Ibid.

SECTIO III.

De extirpaturis constitutivum haud ingressis.

ART. I.

De extirpaturis penes conventionem, vel investitionem tentis.

Extirpaturae illae, quae cum tacito, vel expresso dominii consensu efformatae sunt, constitutivum haud ingressae, prout illae, quibus seu conventio cum dominis inita pro fundamento deservit, seu quaepiam summa legitime investita foret, hae quidem ultimae nonnisi deposita hac summa, et si conventio adest ad tenores hujus, illae vero harum, relate ad quas neutrum praemissorum subversatur, dum et quando deposita defixa impensi laboris mercede per dominia recipi possunt.

In spiritu benignarum resolutionum justum est omnino, ut dum ex parte dominii non probatur quod intuitu venditionis, et comparationis similium fundorum prohibitio dominalis intervenerit, ii ex possessoribus qui investituras suas iisdem fundis inesse comprobare possunt, investituras has ad casum reluitionis a dominio terrestrali recipiant, aliis vero investitiones remonstrare nequeuntibus conformiter ad subsistentem intuitu

mercedis classificationem (paulo post designandam) bonificatio praestetur.

ART. II.

De emptis per colonos extirpaturis in specie.

Quod extirpaturas per colonos emptas attinet, instructio pro exequentibus magistratualibus cap. V. §. 30. haec habet formalia, si hae cum consensu dominii per subditos emptae, et venditae fuerint, in casu hoc dominium consentiens in emptionem venditionem extirpaturarum, non mercedem laboris tempore receptionis extirpaturarum, verum ipsam summam iisdem investitam praevie tamen sufficienter comprobandam persolvere tenetur, ea tamen lege, ut si dominium tempore, quo emptionem venditionem extirpaturarum admisit, consensum suum quoquo modo regulasset, id ipsum observetur.

ART. III.

De his extirpaturis urbarialiter in depensione praestationum haud tractandis.

Extirpaturae praeter constitutivum urbariale per colonos possessae, donec praescripta modalitate reluantur, distinctam a praevigente hactenus usu taxationis urbarialium praestationum depensionis rationem invito colono generatim recipere non possunt, in quantum nihilominus libera ac spontanea conventio ab utrinque iniretur, haec in salvo relinquitur; extirpaturis praescripto ordine relutis ad liberam reluentis dominii dispositionem recidentibus.

SECTIO IV.

De extirpaturis naturam extirpationis amittentibus.

a. Extirpatitii fundi antiqui successive sessionales effecti, naturamque extirpatitiorum non retinentes, aut a subditis extirpantibus de loco migrantibus derelicti, aut de manu ad manum devoluti, et absque ulla mercedis aut fatigiorum bonificatione, et investitione possessi. naturam extirpationis amittunt, neque antelata bonificatio amplius locum habere potest. Urbar. p. 2. §. 2.

b. Si extirpaturae quaepiam nomenclationem suam et indolem ea ratione amiserunt, quod eaedem ex concessione dominii constitutiva sessionalia ingressae fuerint, taliterque jam partem constitutivi sessionalis efficerent, eae ac tales amplius a constitutivo avelli nequeunt, sed neque plene extincta extirpaturali earum natura intuitu redemptionis seu bonificationis extirpaturarum mercedis aut impensorum laborum, praetensiones eatenus ex parte colonorum formari possunt.

c. Extirpaturae anteurbariales sunt, quae occasione introducti urbarii qua tales conscriptae extiterunt, quaeve per multam annorum seriem, naturam extirpationis amiserunt, secus autem subditi ab his post plurium annorum gratuitum usum-fructum dominio nihil praestiterunt, adeoque per captum ex illis fructum sufficienter indemnisati essent, tunc dominium ad earundem reluitionem non obligatur. Nro. 6167. 1810. locumtenentiali. — Manent tamen in manibus possidentium colonorum,

SECTIO V.

De censu, vel terragio extirpaturali.

Relate ad extirpandos fundos observentur conventiones quoad depensionem terragii dominium inter, et colonum initae — relate ad jam extirpatos autem fundos usus quoad censum hucadusque observatus nulla ratione tamen adaugendum. Urbar p. 4. §. 8.

SECTIO VI.

De extirpaturis arbitrarie factis.

Extirpaturas absque indultu dominii sub poena amittendae mercedis, et onere refusionis causati damni facere subditis non licet, e converso domino terrestri fundos jam extirpatos non secus quam erga conscientiosam comitatus limitationem a subditis recipere integrum est. Urbar. p. 8. §. 6.

Extirpationes arbitrariae etiam juxta articutum 21. §. 18. 1807. absque dominii consensione sub poena corpõrāli et damni refusione sunt colonis interdictae, quas dominium absque bonificatione usibus suis applicare potest.

SECTIO VII.

De extirpaturis via facti per dominium occupatis.

Quantumvis articuli novellares de repositione sonantes casui via facti occupatarum extirpaturarum applicabiles non sint, comitatui tamen incumbere, praemissa investigandorum investigatione,

contribuentem in possessorio rei suae manutenere, praesertim ubi nec de indole extirpaturae, nec de titulo occupationis satis constat, adhaec colonus quoad summam inhaerentem si arbitrarie restrictus, nullaque habita meliorationum reflexione praeter sedem dominalem extirpatura privatus extitit, negotium tale semper in sede dominali assumendum, et sua via altioribus locis substernendum, interea colonis usque superventuram resolutionem in possessorio extirpaturarum via facti occupatarum relinquendis. Ex nro. $\frac{5931}{15924}$ 1811.

SECTIO VIII.

De quatuor extirpaturarum classibus relate ad praestandam reluitionalem mercedem clementer defixis.

Sua Majestas sacratissima erga submissas per universos regni comitatus intuitu mercedis quoad extirpaturas qualiter praestari solitae, informationes (cap 3. sectio I.) ultra ea, quae jam perprius in ordine ad examinandum, tractandumque extirpaturarum negotium clementer disposita, et respective instructionibus mediantibus normalia facta sunt, clementer ordinare dignata est, ut pro futuro quatuor extirpaturarum classes pro objecto sint, et quidem.

1mo Ubi in montoso, saxisque referto terrarum situ labor impendendus ingentes operas exigebat.

2do Dum res in montibus planitie quadam temperatis, neque saxorum compage occupatis tractanda est, atque insuper, dum evulsorum lignorum non inutilis aliquis usus fieri potest;

3tio Si alias quidem extirpatura in planitie ducenda est, verum inde difficilior evadit, quod ingentia robora tollenda veniunt.

4to Denique ubi res faciliori opera in plano praecise a vepretis et virgultis repurganda occurrit.

Quamobrem pro stabili equidem cinosura esse vult sua Majestas sacratissima, ut pro uno jugero extirpaturae citra discrimen agrorum vel pratorum in 1. classe 5 fl. — in 2. classe 4 fl. — in 3. classe 3 fl. — in 4. classe 2 fl. extirpanti in parata bonificentur.

Quo autem rebus circa ipsas classes determinandas major securitas procuretur, eadem sua Majestas sacratissima clementer jubet, ut pro omni aestimandarum extirpaturarum tempore ipse magistratus comitatus debitum praevie examen, et facta praevie investigatione combinationem facere, et cur in quaestione vertentes extirpaturae ad hanc vel illam classem positae habeantur? rationes disertis verbis exprimere, id ipsumque propria subscriptione et sigillorum adpressione ita confirmare debeat, ut pro omni oriturae ulterioris quaestionis casu sufficientem semper rationem reddere possit, atque istis praescripta modalitate inomisse observari debentibus ad sensum priorum b. resolutionum regiarum omnes recipiendarum extirpaturarum casus pro impertienda b. resolutione regia suae Majestati sacratissimae toties quoties medio Consilii regii locumt. demisse repraesententur. Die 25. aprilis 1771. intimatum cunctis jurisdictionibus.

SECTIO IX.

De generali mercedis extirpationalis principio.

Ut legi, et intentionibus altissimis quamplenissime satisfiat, condigna merces laboris in extirpaturas impensi ita procuranda est, ut nec domini terrestres justo plus in depensione bonificationis extirpaturarum graventur, sed nec extirpans justa mercede sua adjunctis commensuranda frustretur.

In processu urbariali dominii Muttina in comitatu Arad contra Csintyenses ad ademptionem extirpaturarum in sylvis factarum promoto sub nro. locumt. 8929. 1812.

Sententia sedis dominalis: Quaestionatis extirpaturis gratis et sine onere publico in praesens per partes II. possessis, pretium extirpationis consuetum, et ante litem, et ab incamitione litis se solo abunde resartientibus, totam quantam plagam actionalem citra omnem aeris depensionem parti A. adjudicari.

Sententia sedriae: Extirpatione quaestionatae plagae per II. maxima in parte ante adhuc introductum urbarium, et subseque citra dominii suo modo indicatum resensum adeoque bona fide continuata, jamque multorum annorum usu firmata, licitum possessorii partium II. titulum inducente, actionalem plagam dominio de praescripto urbarii absque bonificandorum bonificatione addici haud posse.

Haec sententia per regium locumt. Consilium ea ratione approbata est, ut cum ex actis pateat,

extirpatūras cum indultu dominii procuratas, emptas et venditas esse, ex eo receptionem earundem nonnisi erga bonificationem investiturarum legitime edocendarum, atque pretii aestimationalis in conformitate b. resolutionum regiarum eruendi dominio terrestrali admitti, finemque in praemissum liquidationem liquidandorum in sede dominali instituendam, ac praemissa revisione sedis judiciariae regio locumtenentiali Consilio submittendam venire.

SECTIO X.

De conscriptione extirpaturarum.

Universae extirpaturae, seu terrae arabiles, seu prata hac occasione (urbarialis quippe regulationis introductionis) conscribantur, ut evenientibus nefors querimoniis prompta adsit notitia, quidnam hactenus ab his vel illis extirpaturis terragii titulo pensum fuerit?

In distincto interim corpore extirpaturalia conscribenda erunt, et quidem cum adjicienda rubrica, quid et quantum ab his hactenus terrestralibus dominiis praestitum fuerit, ac nunc praestetur?

Instr. exeq. mag. cap. II. §. 5.

SECTIO XI.

De liquidationali instrumento in processibus ad redemptionem extirpaturarum produci solito.

Liquidationalis instrumenti, cujus individualium positionum discussio tum ex praxi, quam

et ad antevertendas occasione executionis occurribiles difficultates, ac ex his facile emergere queuntes iteratas revisiones, et decernendas readjustationes essentialem partem instituti extirpaturarum redemptionalis constituit, productio in processu est inomisse necessaria, atque procedentia dominia ad liquidationalis instrumenti productionem, in ejusdemque elaboratione ad sequentia stabilita principia obligari.

1mo Omnes extirpaturae, in quibus expressus consensus sive per datum indultum sive per factam sine sufficienti cautela venditionum protocollationem, sive denique per actuum divisionalium inter subditos cum exsolutione excedentibus uni condividenti extirpaturis evenientium approbationem dominalem, impertitus habetur, in summis, de quibus dominio terrestrali occasione dati consensus constitit,

2do Omnes extirpaturae regulationem urbarialem antecedentes, consensu expresso haud provisae (et conscribendae) cum deposita mercede laboris, non absimiliter,

3tio Omnes extirpaturae post regulationem urbarialem enatae, sed tempus primae specialis prohibitionis antecedentes, denique,

4to Omnes extirpaturae etiam post speciales prohibitiones enatae, a quibus tamen dominium terrestrale terragium desumpsit, pariter cum deposita mercede laboris, adeoque unice

5to Extirpaturae post speciales prohibitiones in legibus novellaribus fundatas enatae, et respe-

ctivis dominiis terrestralibus nullas datias praestantes sine omni aestimatione gratis redimantur.

Etiam illas extirpaturas, quas dominium titulo infructuositatis bonificare renuit, recepto jam per regnum modo bonificandas, aut secus colonos in possessorio earundem relinquendos esse. Nro. locumt. 11827. 10. maii. 1814. in processu urbariali possessionis Kralocz comitatu zoliensi ingremiatae.

Quaestiones quoad ademptionem, et reluitionem extirpatitiorum fundorum vertentes de casu in casum ante effectuationem suspremae decisioni substerni debent. Nro. aul. 3470. 1816.

Extirpatitiis fundis inhaerentes investiturae emptionalibus literis aut fassione duorum vel plurium testium probatae, omni jure colonis refundi debent.

Sed et summae fassione unius testis authenticata, per colonos probatae, in concursu attestatorum unice culpâ dominii authenticari omissorum, sufficientem praesertim in urbarialibus probam praestant, adeoque et hae colonis refundendae sunt, cum saepe adjuncta rerum, quod coloni literalibus instrumentis suas investituras legitimare nequeant, subditelae eo minus nocere possint, quod ductio librorum fundualium, quibus omnes fundorum mutationes, puta, emptiones, cambia, inonerationes inseri debent, ad partes officii dominalis officiolatus spectare dignoscatur, optandumque foret, ut libri funduales cum hac norma universaliter penes elaborandum debitum eatenus systema introducantur, quorum ope pro

futuris casibus idmodi neglectui cum securitate colonorum efficaciter obviari possit.

CAPUT IV.

De fundis remanentialibus.

SECTIO I.

De remanentialibus fundis impopulandis, vel colonis plurimum indigis assignandis.

ART. I.

De distributione remanentialium erga onera proportionata colonis admissa.

Si facta distributione, et sessionum adaequatione de fundis hactenus possessis quid remaneret, tales supernatantes fundi tantisper et donec fors et hi noviter accessuris pluribus neo impopulandis sessionibus necessarii erunt, erga proportionata abinde ferenda onera iis praesertim assignentur colonis, qui non solum ad excolendos hos fundos magis capaces, sed et his fundis plurimum indigi erunt. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 18.

ART. II.

De remanentialibus fundis, etiam extraneis vel communitati erga urbarialia onera cedendis.

De praeattactis a redintegratione remansuris terris et pratis pro casu ac haec iste, vel ille colonus, aut tota communitas assumere nollent, illud observandum erit, ut pro tunc terrae et prata talia etiam extraneis semet nefors eatenus in-

sinuaturis erga competentes proportionatas urbariales praestationes assignentur. Hujusmodi vero fundi, si fors coloni deficerent, quibus assignentur, in tabella nihilominus conscriptionis accurate connotentur, regiusque commissarius operam adhibebit, ut communitas erga urbariales praestationes ad illorum culturam interim disponatur, aut vero, cum ex formando pleno redintegrationis calculo quantitas remansuri constitutivi facile erui possit, resultatura ejusmodi quantitas illico colonis relinquatur, qui juxta suum prius possessorium remansuram hanc quantitatem adaequabunt.

Instr. exeq. mag. cap. V. §. 19. item instr. commissar. regiorum p. 44.

SECTJO II.

Quando et quomodo terrae remanentiales prae manibus dominiorum relinquendae? Relationi tamen executionali inserendae

Ubi latifundia majora sunt, ita ut fors coloni propter onera, quae exinde promanatura, supportandaque forent, omnia assumere non vellent, sed eo non obstante, quod hactenus erga urbariales praestationes tenta, et simul oneri contributionis subjecta fuerint, pars aliqua prae manibus dominorum terrestrium relinqueretur, in relatione executionali exponatur, quot in uno quovis loco sessiones, ejusmodi remanentia constituat. Ibid. et instr. commiss. reg. p. 37.

SECTIO III.

De divisione remanentialium fundorum in octavales portiones.

In distributione supernatantium fundorum ea generalis observanda erit regula, ne ejusmodi fundi in minores portiones, quam in octavales sessiones dividantur; consequenter et ipsa distributio non stricte juxta integras, medias et quartales, sed magis juxta sessiones octavales fiat. Ibidem cap. V. §. 18. prout de sessionali constitutivo dictum.

SECTIO IV.

De argumentis eorum qui terras remanentiales dominio addicendas statuunt.

In benigno urbario nuspiam vestigium reperitur, ut dominus terrestris terrenum illud, quod colonus ultra competentiam possidet, colono cedere teneatur. Lex art. 8. 1741. (quae constitutionalis est) disponit, ne onus fundo inhaereat, domino terrestri unicuique jus adesse talem terram, quam penes colonum ultra competentiam designat, vel ad se pertrahendi, vel pro lubitu alteri colonorum cedendi, imo jus etiam adesse a colono talem quoque terram recipiendi, quae antea stricte urbarialis fuit. Non subversari per hoc ullatenus contributionalis fundi jacturam, quia alioquin colonus a tali fundo nihil unquam nec dominio, nec comitatui, nec aerario quidpiam dependit, eodem fundo quasi furtive cum praejudicio, et damno domini terrestris usus.

Porro citatus art. 1741 praecavet, ne fundus dominalis cujus nomine remanentiales terrae comprehenduntur, contributioni subjiciatur. Quaestionem, an terrae hae ad fundum contributionalem, vel dominalem pertineant, cum haec objectum contributionis sapiat, ad tractatum comitialem spectare, (unde gravamen etiam diaetale ortum est) urbarium in eo solum mentionem terrarum remanentialium injicere, in quantum justa eatenus dominiis praestanda sit compensatio, ac licet in instructionibus urbarialibus remanentiales terrae fundo contributionali adjiciendae statuantur, instructiones tamen has intimatis circa introductionem urbarii editis nec adnexas, nec subseque publicatas esse, sequaciter sub sensum legis articuli quippe 35. 1790. haud cadere posse, luculenter itaque patere, terras remanentiales de jure tit. 9. parte I. expresso a dispositiono dominali pendere, ac proinde jus potestatis dominicae nobilium saluti patriae necessarium protegendum esse.

SECTIO V.

De spiritu b. resolutionis regiae erga gravamen diaetale quoad terras remanentiales clementer emanatae anno 1812. nro. aul. 8266.

In quovis remanentialium fundorum pertractationis casu, benignae instructionis pro comissariis regiis §. 37 et 44. nec non alterius instructionis pro exeq. mag. praescriptae cap. V. §. 18. 19. pro principiis decisionum tenendo, et observan-

do eo attendendum esse, ut terrae ex urbariali regulatione, atque dotatione colonorum remanentes, prius erga urbariales praestationes tentae, et simul oneri contributionis subjectae porro quoque qua tales permaneant. In his casibus principia (quae ex diversitate decisionum nonnullis diversa esse viderentur) adaequatam rei urbarialis notitiam habentibus difformia esse nunquam possunt, utpote parte ab una in constitutionali legalique jure terrestrali, parte vero ab altera in b. urbariali rescripto fundata, difformes autem decisiones iisdem licet principiis subsistentibus, pro ratione substrati, subversantiumque adjunctorum et intervenisse, et intervenire debuisse.

Principia circa tractamentum horum fundorum in duas epochas reduci possunt, primam epocham constituit tempus introductae in regno regulationis urbarialis, quo etiam illae possessiones referri debent, quae aut nonnisi tardioribus annis per effectivam urbarialium sessionum excisionem taliter regulatae sunt, aut nunc etiam eo in cardine versantur, quod continuis ab eo inde tempore contractibus, qui perpetui non sunt, regantur, vel propter obmotas difficultates, et processus urbariales nunc quoque in communi quasi possessorio vivant, quin excisio sessionum colonicalium, adeoque realis urbarialis regulatio et in sensu b. urbarii effectuatio in utroque casu procurata sit. In his casibus observabatur, quod fundi ante introductum urbarium per subditos erga urbariales praestationes, sive in natura illae praestitae, sive in contractus temporaneos transfor-

matae fuerint, tenti, et hi quidem seu individualiter inter subditos distributi, seu per communitatem in concreto, et statu quasi confuso possessi, et simul oneri contributionis subjecti, huc etiam intellectis colonicalibus desertis fundis, qui inde ab anno 1743 per dominos terrestres occupati, et ad privatos usus appliciti fuissent, juxta praescriptum urbarii, et b. resolutionum individualiter in colonicales sessiones excisi, et adjecto commensurato pascuo sessiones colonicales inde efformatae fuerint, fundi remanentiales, quos nec communitas in concreto, nec subditi ipsi, nec extranei erga solitas praestationes urbariales acceptare, et retinere vellent, et qui nec impopulari possent, prae manibus dominorum terrestrium relinquantur, et tam hi, quam et illi ex his remanentialibus fundis, qui penes spontaneam quandam obligationem prae manibus colonorum relicti fuissent, tabellam conscriptionis, et seriem relationis super executione ingrediantur, quo ubi occasio semet obtulerit, erga solitas urbariales praestationes subditis assignari possint, quae relate ad illas etiam possessiones, quarum regulatio necdum plene consumata est, observanda venient.

Simili occasione maximam solet facere difficultatem illud, si in gremio similis possessionis dominium terrestrale propriam etiam allodiaturam exercuit in statu tamen permixto, nec a terrenis subditorum satis distincto, quod jam una jam altera pars cumprimis in praediis perararet, et iterum in arvum, cespitem et commune pa-

scuum rediret, adeoque in specie tenuta ante urbarium per subditos olim tenta sciri nequirent, consequenter juxta eadem neque terrae remanentiales exinde positive efformari possent, in tali casu illud observabatur, sicuti ante 40 annos occasione universalis urbarialis introductionis, tenuta illa urbarialia una contributioni subjecta, quae prae manibus subditi reperta sunt, in constitutivum sessionis colonicalis imputata extiterunt, ita nunc quoque actualis possessionum agriculturae status pro basi exscindendarum sessionum colonicalium assumendus sit, ex pascuis autem vel praediis juxta optionem domini vel proportionata quantitas subditis privative pro pascuo excindatur, vel sicut prius, communiter usuentur, ita tamen, ne subditi in pascuo restringantur.

Alteram classem constituunt possessiones, quae jam effective, et de pleno urbarialem regulationem pertransiverunt, quoad has nova fundorum remanentialium quaestio nonnisi ibi oritur, ubi dominia terrestralia novis institutis terrarum colonicalium dimensionibus facta persaepe etiam cum tenutis dominalibus, vel extirpatitiis commassatione sessiones colonicales juxta priorem numerum arithmeticum exscindunt, taliterque relate ad superfluitatem priorum sessionum colonicalium e nova dimensione enatam, fundi remanentiales enascuntur, hos ac tales, velut praevie jam dotationem colonorum, et objecta contributionalia ingressos abinde avelli et lex et urbarium atque b. resolutiones vetant, consequenter hi ul-

tro subditis erga commensuratas urbariales praestationes relinquendi sunt.

Quibus praemissis sua Majestas sacratissima benignejubere dignata est, ut in occursuris specificis casibus juxta principia superius exposita, et instructionibus urbarialibus munita porro quoque procedatur.

Terris remanentialibus ad categoriam allodialium fundorum referri nequeuntibus, de positivo jussu regio dispositum est, ne ejusmodi terrae contributioni subtrahantur, et jurisdictiones hac in parte sub stricto responsionis onere, officio suo fungantur. Qua b. resolutione mediante soluitur quaestio circa terras remanentiales nec per extraneos colonos nec per locales, aut communitates erga urbarialia et publica onera asumptas, sed prae manibus dominorum terrestrium interea relictas. Nro. aul. 13184. 1816.

SECTIO VI.

De practicis casibus decisionum in processibus qu'oad terras remanentiales agitatis. (§§. 6. 11. 13.)

1. Comitatui Pestiensi erga submissas exmissorum suorum magistratualium super qualiter introducta urbariali regulatione praestitas relationes in obsequium b. rescripti regii dd. 13. Mart. 1772. Nro. 5239. emanati, ex parte Consilii reg. locumt. sub 13. aprilis a. c. Nro. 1651. intimatum est, ut cum ex investigationibus exmissorum magistratualium observatum fuisset, fundos a dotatione constitutivorum sessionalium remansos, in locis gre-

mialibus Pétzel, Takson, Dabas, Sáry, Budgyi, Irsa, Ocsa Jánoshida et Pomáz ad allodiaturas dominales effective applicatos haberi, patuerit praeterea plurimis in locis notabilem prorsus jam agrorum, jam pratorum partem remànsisse, et quia erga urbariales obligationes coloni eas haud acceptassent, erga alias arbitrarias praestationes prae manibus colonorum relictas, et in parte servitoribus communibus distributas esse, evenerit item, quod in uno alterove loco penes specialem contractum coloni universas suas terras reservaverint, cum autem ex hinc facile sequi posset, ut benevole erga spontaneam quandam obligationem prae manibus colonorum relicti fundi tardius, et successu temporis in allodiaturas dominales applicentur, et sic a contributione abstrahantur, hinc eidem comitatui pestiensi intimatum est, ut juxta ideam instructionetenus praescriptam fundi universi tam in territorialibus locis, quam et praediis existentes a colonis possessi conscribantur, specificeque adnotentur; in quo loco quantum agrorum, et quantum pratorum a sessionalibus terris remanserit? comitatus porro idem pro autoritate sua magistratuali eo curam omnem convertat, id ipsumque in sui gremio publicet, ut terris ejusmodi ad allodiaturas dominales applicari haud valentibus; si praesentes in loco coloni hoc vel illo, remanentes terras assumere nolint, novis colonis impopulentur.

2. Comitatui Baranyensi circa authenticationem tabellarum urbarialium in bonis petrovszkianis institutam, ad exigentiam b. resolutionis regiae ddto 4. Januar 1773. nro. 6. emana-

tae, sub 11mo ejusdem mensis et anni nro. 231. intimatum est, ut si per geometricam dimensionem fundi aliqui per colonos possessi, vacui remansissent, tales dominium sibi neutiquam appropriet, verum in conformitate b. resolutionum et instructionum regiarum §. 44. exeq. autem magistratualium cap. V. §. 18. eousque etiam donec per accessuros nefors novos colonos impopulari poterunt, vel capacioribus colonis, vel ipsis communitatibus erga proportionate ferenda abinde onera urbarialia assignentur, in reliquo autem comitatus idem fidelem relationem submittat, an et quot jugera terrarum in quove loco per eandem novam dimensionem remanserint, id ipsumque in omnibus dimensionum casibus pro futuro observet.

3. Comitatui Honthensi in demissum obsequium b. mandati regii dd. 1. oct. 1776. nro. 4757. emanati circa fundos in gremiali ejusdem comitatus possessione Kissgyarmath a geometrica dimensione remansos sub 7. octobris a. e. nro. 5308 intimatum est, ut eosdem fundos, quos si intranei acceptare ultro detrectarent, ne in longius tempus inculti maneant, per novos medio reiterandarum solitarum currentalium, in conformitate legis erga trium annorum a contributione immunitationem eo advocandos colonos impopulare satagat.

4. Comitatui Tolnensi intuitu fundorum colonicalium in possessione Möcsény post peractam geometricam dimensionem a constitutinis sessionalibus remansorum sub 12. octobris 1778. nro. 5046. comissum est, ut cum ad cap.

V. §. 18. et 19. instructionis magistratualium fundis colonicalibus possessis, et usuatis cum praejudicio publicae contributionis subtrahi nihil possit, ex eo cum concursu dominii terrestralis idem comitatus disponat, ut agri 143 jugerorum, prata vero 37 falcastrorum antea per colonos ad sessiones colonicales usuata, occasione vero dimensionis et subdivisionis a constitutivis sessionalibus eximissa et remansa, ac per dominium apprehensa, distinctoque titulo colonis in arendam locata, ad sessiones colonicales illico reapplicentur, et praestationibus urbarialibus, onerique contributionali subjiciantur.

5. Comitatibus regni Croatiae in conformitate b. resolutionis regiae ddto. 5. Maii 1780. nro. 2226. elargitae et sensu art. 18. 1723. id quod contributioni publicae subjectum, et connumerationem portarum ingressum est, ab eadem abstrahi vetantis, quoad fundos a constitutivo remansos, et per dominia suis usibus applicari petitos sub 11. ejusdem mensis, et anni nro. 3078. ea inviatio data est, ne per dominia fundos ejusmodi suis usibus applicari admittant, verum colonis aut in communi, aut vero privatim erga pendendas urbariales praestationes possidendos relinquant.

6. In obsequium b. decreti aul. ddo. 8. Julii 1787. nro. 8079. emanati, cunctis regni jurisdictionibus sub 2. aug. 1787. nro. 28577. circulariter publicatum est, suam Majestatem sacratissimam clementer praecipere dignatam esse, ut in id investigetur, an fundi proprie rusticani, sequaci-

ter a colonis, et contributione haud avelli queuntes per quosdam dominos terrestres possideantur? pro manuductione autem hujus investigationis, quin ad alia uberior digressio fiat, connumeratio portarum, urbarialis regulatio, et praexistentes normales resolutiones regiae sumantur, praecipue autem eadem investigatio eos et tales fundos pro objecto habeat, quos e. g. dominus terrestris A, in uno domini terrestris B. id est in alieno terreno possidet, in quo casu accurate eruendum erit: an iidem ex fundis allodialibus domini terrestris B. excisi, et in dominum terrestrem A. translati, aut vero an iidem fundi, tempore illo, quo dominus terrestris B. in dominum terrestrem A. transtulit, sessionales, sequaciter contributioni obnoxii fuerint? ac an modernus eorundem possessor, utpote dominus terrestris A. ab iisdem fundis contributionem solvat, aut non? quod si autem ab his fundis idem dominus terrestris contributionem adhuc hactenus haud solvisset, iidem fundi illico contributioni subjiciantur, et eorundem conscriptio altissimo cobtutui medio Consilii regii locumt. submittatur.

7. Comitatui Veszprémiensi relate ad processum urbarialem colonorum possessionis Mezölak contra dominium terrestrale promotum, relate ad querulantium petitum, ut octo fundi curiales qua ad fundos colonicales pertinentes usibus suis reapplicentur, et terrae remanentiales per dominium occupatae, sibi erga praestationes urbariales consignentur, sub 23. januar. 1792. nro. 1288. intimatum est; siquidem tam e testium fas-

sionibus, quam et investigatione judiciaria evenisset, quod quaestionati fundi curiales, semper qua tales tractati nullo unquam contributionali onere affecti extiterint, hinc sententia sedriali hac in parte probata; in quantum autem quoad terras in dimensione geometrica remansas e primitivi processus sententia observaretur, quod terrae hae per sententiam sedrialem anno 1787 latam, colonis erga novas praestationes oblatae, adjudicataeque habeantur, inve hujus consequentiam, mediante intimato de 18. julii 1787. dispositum fuisset, ut oblatum hoc dominale in realem effectum deducatur, ac dein tabella urbarialis novo huic statui conformetur, eidem comitatui ultro comissum est, ut cum exequentium magistratualium instructio expresse disponat, ut fundi remanentiales ante introductum urbarium per colonos possessi, eis erga novas urbariales praestationes ultro possidendi resignentur, vel colonis hos acceptare nolentibus, exteris finem in hunc advocandis impopulandi tradantur, et hoc ipsum determinatio etiam comitatus disposuisset, testante autem relatione exequentis magistratualis, coloni ad remanentialium eorundem fundorum acceptationem iteratim provocati, eosdem sub obligatione praestandarum abinde dominio urbarialium datiarum se acceptare nolle expresse declaraverint, hinc in hoc rei situ, cessante per factam renunciationem quoad colonos quaestione, super eo, an iidem fundi pro impopulatione extraneis colonis oblati sunt, comitatus ad praestandam ulteriorem relationem inviatus est.

8. In processibus urbarialibus oppidi Enyiczke nec non possessionum Litka, et Kapolna-Bölse quoad regulationem appertinentiarum urbarialium per suscipiendam geometricam dimensionem et terreni commassationem procurandam, suscitatis, ex parte Consilii regii locumt. sub 8. febr. 1803. 2879. item sub 8. mart. 1803. nro 5286. comitatui Abaujvariensi ea data est inviatio; ut antequam commassatio universi terreni suscipiatur, per comitatensem geometram praesente judice nobilium, jurassore, et fisco magistratuali colonorum tenuta geometrice et in quantitate, et in qualitate assumantur, et authentice connotentur, ne per subsequam comassationem, aliquid ex tenutis objectum contributionis facientibus decerpi et adimi possit; facta vero comassatione, et nova urbariali regulatione instituta eo advertatur, ne remanentiae per dominium terrestrale in allodiales aut privatos usus convertantur, sed dispositio h. urbarii exacte observetur.

9. Circa novam tabellam urbarialem possessionis Robogány-Lazur comitatui Bihar ingremiatae sub 1. mai. 1804. nro 9119. eidem comitatui intimatum est inter reliqua; cum in relatione exmissorum pro investigatione magistratualium asseratur, quod dominium sorti colonorum ex terris suis remanentialibus effective prospexerit, in tabella autem urbariali, eidemque subinserta relatione executionali nulla fundorum remanentialium mentio injiciatur, taliterque exequentes magistratuales, obligationi suae, tenoribus instructionis signanter cap. V. p. 19. praescriptae minus sa-

tisfecisse eveniat, hinc super eo, qualesnam illi fundi sint, qualiterve sub executione urbariali tractati fuerint? a dicto comitatu vel ex eo etiam uberior informatio postulata fuit, cum ibidem de fundis remanentialibus id ceteroquin supponatur, quasi fundi tales liberae dominii terrestralis dispositioni subjacerent.

10. In processu urbariali actore fisco dominali contra colonos Kolbasenses promoto, comitatui Zemplén sub 9. apr. 1805. nro. 8176. intimatum est, ut si qui fundi postfunduales ultra colonorum dotationem pro integra sessione, pro qua in tabella urbariali inserti sunt, ope dimensionis geometricae supernatarent, usibus colonorum aut communitatis erga tamen distinctas, et approportionatas urbariales datias et servitutes porro quoque relinquantur.

11. In processu urbariali possessionum A et F. Molcsa, nec non A. et F. Mitsinye moto, in quo de nova dimensione geometrica terrisque remanentialibus curialisandis agebatur, comitatui Zoliensi sub 3. decembris 1805. nro. 27708. in conformitate b. resolutionis regiae per suam serenitatem caesaro regiam Dominum Regni Palatinum editae, ea data est inviatio, quod enata ex supernatantia jugerorum 214 remanentia ad proprios dominos terrestres ex adductis in sententia sedis dominalis motivis recidere possit; adducta autem sunt sequentia motiva.

Quod perhibente extractuum urbarialium §. 18. in praedictis possessionibus constitutivum sessionum, praeter antiquas extirpaturas etiam fundi

praediales ingressi sint, reliqua vero quantitas ex novis extirpaturis in sylvis dominalibus praedialibusque contra inhibitiones efformatis consurrexerit.

Quod in eadem nova regulatione fundo contributionali nihil prorsus decedat, sed potius alterum tantum accedat, siquidem sessionum quantitas in dupplo adaucta sit, resultantia vero jugera, tanquam seu per subditelam olim denegata, adeoque latentia, seu ex fundis a contributione immunibus efformata et consurgentia, nunquam contributioni subjecta fuerint.

Quod dominio terrestrali per legem cardinalem de suo disponendi potestas attributa sit, praeferenter autem de iis fundis, qui urbarialem conscriptionem ingressi non sunt, et nec secus idem dominium terrestrale exiguas alias allodiales terras in locis dictis habens, usum obtingentium robottarum citra grave et manifestum damnum capere possit, ipsa subditela magno cum alleviamine in loco praestare valebit, denique,

Quod dominium terrestrale resultantem curialitatem, non in situ ac terreno optimae qualitatis, sed pro commoditate colonorum in gleba occurrente, in praesentia testimonii legalis exscindendam praetendat, omnesque in quaslibet extirpaturas per subditelam investitas summas renumerare paratum sit.

12. Comitatui Békes in objecto querelarum urbarialium possessionis Ötsöd sub 4. febr. 1806. nro. 1228. et 23. septbr. a. e. nro. 18964. per Consilium regium locumt. intimatum est; cum ex relatione exmissae deputationis eve-

niat, praemissa nova terrarum dimensione, novam etiam fundorum et appertinentiarum inter colonos partitionem per dominium terrestrale susceptam fuisse, sed et e terris remanentialibus tres sessiones in usus officialium dominalium conversas, adeoque a fundo contributionali abstractas extitisse, siquidem autem de praescripto instructionis exeq. mag. hujusmodi nova dimensio, et in harum consequentiam efformanda tabella urbarialis altiorem revisionem et adprobationem pertransire debeant, ex eo antelato comitatui ea data est inviatio; ut elaboratam novam conscriptionem tabellamque urbarialem praevie sedrialiter revidendam Consilio reg. locumt. submittat; in ordine vero ad sessiones illas, quae e terris remanentialibus in usus dominales conversae sunt, quandoquidem fundamento art. 18. 1723. omne id, quod contributioni obnoxium est, ab hac avelli nequeat, sed et in sequelam instructionis exeq. mag. cap. V. §. 18. et 19. remanentiales ejusmodi terrae, aut colonis in individuo, aut vero communitati in complexu, erga praescriptas dominales obventiones assignandae venirent; comitatus disponat, quo eaedem tres sessiones, velut contributioni constanter obnoxiae, inter colonos locales distribuantur, subin autem tabellae urbariali inserantur.

13. In processu urbariali possessionis Fekete tó comitatui Bihar ingremiatae ratione tractamenti urbarialis quoad terras remanentiales promoto, in sequelam b. decreti aul. die 8. aprilis 1808. nro. 2053. emanati, antelato comitatui sub 10. mai a. e. nro. 10216. intima-

tum est, siquidem parte ex una compertum habeatur quod in quaestione vertentes terrae remanentiales novas $29\frac{4}{8}$ sessiones efficientes, ex meris extirpaturis constent, adeoque erga bonificationem mercedis extirpaturae, tanto magis ad liberam dominii dispositionem pertinere dignoscantur, quod ex ipsa relatione exmissae deputationis appareat, eas contributioni nunquam subjectas fuisse, ac etiam vigore instructionis urbarialis cap. V. §, 18. non extirpaturae veluti per dominium terrestrale reluibiles, sed aliae terrae remanentiales proprie postfunduales, occasione indictationis per colonos reticitae, ac dein per dimensionem erutae, apud colonos relinqui, aut extraneis assignari debeant, parte vero ex alia eveniat easdem terras adeo sparsim in toto terreno absque ullo inter se nexu situari, ut ad proprios, et ad distinctos dominii usus applicari, adeoque a reliquis appertinentiis urbarialibus separari nequeant, in reliquo autem citra onerosam extirpaturalis, aliorunque laborum mercedem, et bonificationem a colonis adimi nullo in casu valerent, ideo in his reru circumstantiis, quaestionatum tractamentum per sedriam comitatus elaboratum, ac modalitatem bonificationis extirpaturatum per eandem sedriam propositam altissimo loco ea ratione stabiliri, ut si dominium terrestrale illam etiam robottarum a novis $29\frac{4}{8}$ sessionibus obvenientium medietatem quae in compensationem mercedis extirpaturalis colonis relaxanda veniret, in natura pro se desumere, ac potius

aere parato extirpaturas exolvere vellet, id ipsum eidem dominio terrestrali in salvo relinpuatur.

14. Comitatui Veszprém intuitu novae dimensionis, et tabellae novae urbarialis possessionis Jásd sub 11. octobris 1808. nro. 22665. intimatum est, quamvis spectatis colonorum fassionibus ad 9. puncta interrogatoria elicitis puncto 3. atque declaratione fisci dominalis omnes incolas Jásdenses, qua inquilinos considerandos asserentis conscriptioni urbariali possessionis hujus in calce per conscribentes magistratuales anno 1768. subinserta, jam sessiones illae, quae occasione introducti urbarii conscriptae, et assumptae sunt, ex meris extirpaturis constiterint, non absimiliter constitutiva sessionalia etiam illa, quae praeter et ultra sessiones has urbariales, a tempore introducti urbarii enata sunt, perinde ex extirpaturis conflata essent; taliterque dictae possessionis omnia tenuta sessionalia ex meris fundis per colonos aut illorum antenatos extirpatis enata fuissent, ac ideo per dominium terrestrale praetendatur, quod remanentialium terrarum nec nomenclatio quidem, tanto minus praetensio illarum intuitu contra dominium locum habere queat, sumpto interim in considerationem eo, quod contractus impopulationalis de anno 1757. tam de praedio Jásd, quam etiam praedio Csösz impopulandis loquatur, pro nunc autem solum praedium Jásd impopulatum esse perspiciatur, quod praeterea in antiqua tabella urbariali 85. falcastra pratorum exposita cernantur, in tabella autem nova simpliciter exmissa, et in locum eorundem agri

pratales assignati habeantur, quod denique vigore contractus inter dominium terrestrale et colonos anno 1800 initi, puncto 9° pratorum sessionalium falcastra in 800 orgiis □ exscindenda exponantur, in effectu autem in pratis nihil excisum extiterit, ideo in nexu intimati de 23. novembris 1802. nro. 25520. in sequelam b. decreti aul. de 3. novembris 1802, nro. 10286. emanati comitatui ea inviatio data est, ut terras remanentiales porro quoque fundis contributionalibus tanto magis adnumerari procuret, cum prata illa, in quorum possessorio coloni occasione introducti urbarii praefuerunt, per novam urbarialem regulationem iisdem adempta esse pervideantur.

15. Comitatui Pestiensi in causa urbariali gremialis oppidi Patay in sequelam decreti aul. de 28. aprilis 1809. nro. 4463. sub 18. februarii 1810. nro. 2399. circa fundos, qui propter crebras danubii exundationes, vel stagnantes aquas minus usuabiles sunt, ea inviatio data est; ut quidquid ex plagis ad hanc categoriam relatis, oppidani patajensis in sortem constitutivi sessionalis occasione suscipiendae individualis classificationis assumere recusaverint, totum id pro compossessoribus dominis terrestribus ea lege relinquatur, ut tales seu in toto, seu per partes oppido Patay in concreto, vel singillativis oppidanis aut extraneis etiam excensuare possint, neque tamen a fundo contributionis avelli valeant.

Erga b. decretum aul. de 19. apr. 1811. nro. 4423. Comitatui Tolnensi sub 14. mai a. c. nro. 12133. intimatum est, ut de statu urbariali

gremialium dominiorum Ozora, et Dombovár, et in specie quoad terras remanentiales per novam urbarialem geometricam dimensionem enatas, in usus dominales applicitas adaequatam praestet clarificationem, num eaedem terrae in primaeva urbariali regulatione subditis in constitutivum urbariale assignatae ac per eosdem excultae fuerint? an qualiterve ab iisdem, seu a procreatione earundem conscripti contributionem dependerint?

16. Comitatui Sirmiensi relate ad novas dimensiones, et urbariales regulationes gremialium ejusdem locorum Bingula, Petrovcze, Putincze, Malo Radincze; Erdövégh, et Vetus Jankovcze sub 19. febr. 1811. nro. 4651. intimatum est, siquidem docentibus protocollis authenticationis dimensionum dominia terrestralia in illa opinione versarentur, quod illae terrarum partes, quas a dotatione colonorum remanere contingit, liberae eorundem dominiorum terrestralium dispositioni subsint, opinio autem haec neque cum instituto urbariali, neque cum b. resolutionibus regiis cohaereat, ideo congruas eatenus dispositiones faciat, ut fundus contributionalis hac in parte diminutus redintegretur.

CAPUT V.

De fundis desertis.

SECTIO I.

De desertis sessionibus per profugium colonorum enatis.

Desertae sessiones prout et alii resultantes fundi conscriptionem portarum jam ingressi, per subditos ob severius tractamentum dominiorum terrestrium profugos derelictae, profugis non revertentibus, vel novis colonis assignentur, vel vero ceteris in loco habitantibus erga datias et servitutes urbarialiter defixas relinquantur. Urbarii p. 6. §. 2.

Ratio desertarum sessionum eo majoris est attentionis, quod tam fundus contributionalis vel falcidiam pati, vel aliis contribuentibus majus imponi onus debeat, quam etiam proventus dominales jacturam subire oporteat. In exemplo banatici comitatus. Ab anno reincorporationis 1780. Numerus desertarum sessionum cum fine octobris 1794. effecit in comitatibus et quidem Temessiensi 326, integras sessiones, 722 medias, 683 quartas, et 448 octavas — in Krassoviensi 105 integras, 747 medias — 914 quartas, et 1844 octavas; deductis vero illis, quae 1795. impopulatae sunt, in comitatu temessiensi nonnisi 293 integras, 625 medias, 561 quartas, et 367 octavas, in krassoviensi 98 integras, 577 medias, 705 quartas, et 1456 octavas constituisse, restantias porro contributionales his sessionibus inhaerentes cum fine octobris 1794. in comitatu temessien-

si 25447 fl. 56 xr. in Krassoviensi 33689 fl. 55 xr. effecisse; per has autem desertas sessiones dominium camerale ex proventibus suis annue vix non 44325 fl. amisisse.— Germanicae possessiones culturae fundorum deditae a potiori nec desertas habuere sessiones, nec restantiarias fuisse. Vallachicae, rei pecuariae intentae et plurimas desertas sessiones continebant, et restantiis maxime involutae erant.

Ultra damna in reditibus dominalibus per desertas sessiones causata, accedit deterioratio fundi talis, qui stabili cultore destituitur. Illi enim qui desertas sessiones exarendant, ex causa instantanei lucri capiendi fundum ejusmodi in tantum exsugunt, ut post paucos annos semini cum frutu recipiendo incapáx reddatur, et tandem ob sterilitatem non cultus virgultis oppleatur.

SECTIO II.

De fundis desertis urbariali conscriptioni inserendis.

Fundi deserti illa plane modalitate, uti fundi impopulati conscribantur, et urbariali conscriptioni juxta seriem rubricarum accurate inserantur, et quidem fundi tam intra, quam extravillani cum denominativa sessionis qualitate. Instr. exeq. mag. cap. II. §. 4.

SECTIO III.

De termino in conscriptione assumendarum desertarum sessionum clementer determinato.

B. Resolutio regia ad nrum aul. 5025. locumtenensialem 4744. 1773. — Quoad terminum in

conscriptione assumendarum desertarum terrarum determinandum, adeoque in ordine ad quaestionem in eo subversantem, a quo praecise anno deserti fundi in calculum eorum, et talium, qui a fundo contributionali avelli non possunt, et respective avulsi indispensabiliter rursum reapplicari debent, sacratissima sua caesareo regia et apostolica Majestas hanc in rem occurrentibus reflexionibus aequanimiter ac b. expensis clementer resolvere dignata est, ut talismodi deserti fundi illi solum, qui triginta retro abhinc annis ad usus dominorum terrestrium privatos applicíti sunt, contributioni restituantur, per consequens ad illos, et tales coloni introducantur, pro eo vero casu, si domini terrestres medio tempore in ejusmodi desertis fundis residentias suas posuissent, alios in horum vicem qualitate et quantitate pares colonis substituere teneantur; saluo ceteroquin tam pro praeterito quam pro futuro tit. 40. part 1mae in casibus divisionum declarato favore, eo tamen districtim observando, ut si quispiam dominorum terrestrium fundos ejusmodi desertos in casu divisionis usibus suis privatis applicitos praetenderet, casus tales specifici debite investigentur, et per concernentes jurisdictiones secundum omnes circumstantias regio locumt. Consilio, abhinc vero Majestati suae sacratissimae demisse repraesententur, quo sic si nefors casus divisionis praecise pro praetextu assumptus fuisset, neque justum in eo praesidium comperiretur, opportuna mox pro securitate fundi contributionalis disponi valeant.

Hanc b. resolutionem regiam pro requisita notitia, et exacta, stabilique circa occurrentes similes casus observandorum observatione cunctis jurisdictionibus notam reddidit Consilium regium locumt. die 23. septembris anno 1773.

SECTIO IV.

De investigatione annua, an fundi deserti impopulati sint?

B. Instructio normam praescribens annuam urbariorum qualiter observatorum investigationem peragendi §. 8. disponit, ut occasione annuae investigationis sub peculiari puncto accurate examinetur, num ex conscriptis fundis desertis, qui quot et quales impopulati habeantur, et num post impopulationem urbarialiter tractentur? aut e converso nefors aliqui ex impopulatis qua de causa et cujus facto deserti extiterint, et in cujus, qualemque usum devenerint? faciant de his quoque circumstantiis universis investigantes comitatui, hic vero Consilio locumt. regio genuinam relationem suae Majestati sacratissimae repraesentandam.

SECTIO V.

De immunitate neocolonistarum a contributione.

In fundis impopulandis advocati novi coloni generatim trium annorum a contributione immunitatem obtinent juxta anni 1547. 10. art. cui superinductus usus invaluisse perhibetur.

SECTIO VI.

De impopulatione desertorum fundorum.

Anno 1771 die 28. februarii nro. 1105. apud universos comitatus dispositum est, ut publicent, ubinam, signanter quo in loco, apud quos dominos terrestres, quot item et quales desertae hujusmodi sessiones reperiuntur, ut sic re ad omnium notitiam devenire queunte, eo facilius eaedem impopulentur.

SECTIO VII.

De possessionibus per desolationem subditis diminutis relate ad datias qualiter tractandis.

Articulo 18. 1723. sancitum est, possessiones per desolationem subditis diminutae ad praestandas antiquas datias ab integris possessoribus praestari olim solitas non adigantur. Casus tamen similes nunc non occurrunt tam facile.

CAPUT VI.

De curialibus neocolonistis assignatis. et censualisticis fundis.

ART. I.

De curialibus fundis in colonicales conversis.

Cum allodiales terrae, et prata in curialibus praediis sita, titulo impopulationis neo colonistis assignantur, concomitanter eo ipso, quod aliquot

annorum immunitas neo colonistis per dominium concessa, et postmodum obligatio iisdem reflexe ad qualitatem sessionum imponitur, dictos curiales fundos, in colonicales et territoriales subsecuta impopulatione, et praestationum dominalium obligatione conversos esse reputandum est, tanto etiam a fortiori, quod praedia illa, quae prius ad privatum dominorum terrestrium jus spectabant, postquam pro subsistentia, et necessaria dotatione colonorum assignata sunt, ad exigentiam b. in re urbariali editarum normalium dispositionum pro colonicalibus tenutis consideranda sunt, Nro. 21723 1797.

ART. II.

De similibus fundis non taxae sed dicationi subjiciendis.

Quemadmodum qualiacunque loca etiam sic dicta curialia per ignobiles qualescunque et ubicunque degentes inhabitata a facultatibus, et beneficiis contributioni, et non taxae, quae solos nobiles armalistas ferit, subjiciendi veniunt, ita etiam praedia neocolonistis cessa, velut jam colonicalia ac territorialia ex incidenti impopulationis pro talibus consideranda, et ideo incolas hos neutiquam taxae, verum ordinariae dicationi subjiciendos venire. Ibidem.

ART. III.

De censualisticis fundis.

Usus curialitatis, quo censualistici fundi pertrahuntur, semper evinci debet, unaque remonstrari, quo-

modo fundi hi e manibus nobilium ad colonos vel alios devoluti, anve contributioni obnoxii erant? Concriptio fundorum censualisticorum, specificationem tenutorum una cum praestationibus abinde pensis continet, examinandumque, an fundi hi dicalem conscriptionem ingressi sint? Legitimatio possessorii pro parte dominii in casu quaestioni obnoxio evincitur vel literalibus fidedignis instrumentis, vel eorum qui possident, recognitione scripta praehabiti ex beneplacito dominali ad certum tempus restricto de anno in annum possessorii. Denique videndum, unde consurrexerint haec tenuta, an ex fundis allodialibus, vel desertis post annum 1740 enatis, et quanto tempore per censualistas possidentur; nota, ad juris probationem autem juxta tit. 15. 2dae originales literae requiruntur, realeque possessorium juxta tit. 24. 1mae evincatur.

CAPUT VII.

de fundis inhypothecatis.

ART. I.

De fundis inhypothecatis subditis assignatis per haereditarium dominum qualiter recipiendis.

Pro generali regula id simpliciter haud admitti posse, ut fundos omnes ab hypothecariis dominiis terrestribus subditis assignatos haereditarius dominus indiscriminatim semper recipere, iisque subditos simpliciter privare valeat, verum

circumstantiae rite semper expendantur, notanter autem temporis longitudo, per quam coloni in usu talium terrarum praefuerunt, eruatur, ac ut cuncta magis dignosci possint, ea quae magistratuales pro investigatione exmissi referunt, toties quoties actis, et documentis, non autem assertis fulciantur, id ipsumque pro cinosura pro futuro constituatur. Nro. 1872. 22. apr. 1773.

ART. II.

De fundis per rusticos inhypothecatis quo ocius reluendis, ac interea qualiter in calculum summendis.

Quandoquidem fundi sessionales etiam tales quos hic vel ille subditorum ante urbarialem conscriptionem, alteri seu domino terrestri, seu cuicunque inhypothecavit, occasione urbarialis regulationis per modum appertinentiarum ad fundum intravillanum per eundem usuatum conscribi, ac in calculum ita summi debeant, ut inhypothecantes rustici ab iisdem colonicales praestationes et servitutes eodem numero et mensura, ac si eosdem fundos et nunc possiderent, praestare obligentur, hinc commissarii reg. comitatus in eo quoque instruant, ut tales ad reluitionem horum inhypothecatorum fundorum, seu terrae arabiles, seu prata sint, consequenter ad redintegrationem sessionalium fundorum in quantum horum vires, absque dependendae contributionis praejudicio id ipsum admittent, quo citius fieri licuerit, omnimode iidem comitatus adstringant. Instr. urbar. commissariorum regiorum. p. 35.

ART. III.

De generali principio eatenus conservandi fundi contributionalis.

Factis hypothecariorum proprietariis praejudicare nequeuntibus, tendentia aut intentio haec ut facta hypothecariorum possessorum quoad dotationem colonorum ex allodialibus, per proprietarios remonstrata laesione subin rescindi possint, nec cum stabili colonorum conditione, nec cum securitate fundi contributionalis conciliari potest.

ART. IV.

De obligationibus colonicalibus ab inhypothecatis fundis praestari qualiter intelligendis.

Tales fundos sessionales quoque conscribendos, et rubricae tabellae urbarialis inserendos esse, quos hic vel ille colonus, retento intravillano fundo alteri seu domino terrestri, seu cuique ante hanc conscriptionem inhypothecaverit, istosque fundos in calculum hujus rubricae ita summant, ut inhypothecantes rustici ab iisdem colonicales praestationes ac servitutes eodem numero et mensura, ac si eosdem fundos possiderent, praestare obligentur; quod si tamen ab ejusmodi inhypothecatis terris ne in praesens ullas colonicales obligationes praestitissent; nec ob incidens urbarialis regulationis ad eas obligentur, verum potius hoc ipsum in conscriptione claris verbis exprimatur. Instr. exeq. mag. cap. 2. §. 3. ad 13.

CAPUT VIII.

De fundis colonicalibus per dominos terrestres subditis inscriptis.

SECTIO I.

De tractamento inscriptionalistarum occasione introductae urbarialis regulationis.

ART. I.

De subditis usque realem investiturarum depositionem qualiter considerandis.

Quia in quibusdam locis nefors evenire posset, quod nonnulli domini terrestres quibusdam subditis suis sessiones colonicales aut inquilinarias pro quibusdam summis pecuniariis, alii quidem pure pro his, alii vero respective pro summis pecuniariis, respective vero adjectis his quibusdam naturalibus, et robottis temporanee inscripserint, et penes istiusmodi incriptiones easdem subditi actualiter usuent, subditique tales usque realem investiturarum depositionem urbarialiter regulari nequeant, ne occasione singulae reluitionis tabellae urbariales immutari debeant, iidem subditi tam in suis investituris, quam etiam in ipsis seu servitutibus, seu naturalibus datiis usque reluitionem haud augendis, ac quaqua ratione imutandis securi reddantur, hi ad inscriptionalium productionem stringantur, inscriptiones ejusmodi copientur et copiae hae conscriptioni advolvantur, in tabulario comitatus usque realem reluitionem conservandae, motivo etiam ex eo, ut comitatus

subditos hos usque reluitionem pro omni tempore in tenore inscriptionalium conservare sciat. Instr. exeq. mag. cap. 2. §. 3. ad 8.

ART. II.

De inscriptionalistis, prout ceteris colonis, pariter conscribendis.

Hi inscriptionalistae eorundemque sessionalia intra, et postfundualia, prouti reliquorum subditorum, accurate conscribantur, inque serie et ordine illo, prout hi, inscribantur, imo etiam a proportione sessionalium horum, universae competentes robottae, ac datiae in tabella urbariali suis rubricis exponantur.

SECTIO II.

De procedendi ratione ad reluitionem inscriptionum, subditosque urbariali tractamento subjiciendos.

Si dominium quodpiam contra oppidanos rusticae conditionis homines processum urbarialem dupplici ex capite moveat, ad reproductionem scilicet inscriptionalium, et illis reproductis ad levandam summam inscriptionalem, deinde vero, purisatis nempe inscriptionibus ad eosdem urbariali regulationi subjicienbos, dupplex isthoc actionale meritum (nisi fundi inscriptionales quales sunt et impopulationales jam de systemate urbarii naturam tenutorum colonicalium, et conscriptionem urbarialem, vel dicalem subiissent, in hoc enim casu quaestio cessat, nam fundi taliter in constitutivum dotationis colonorum et fundi con-

tributionalis abeuntes ab iisdem nullatenus avelli queunt) dupplici et seorsivo etiam processu discutiendum est; et quidem quaestionem quoad inscriptionem etiam rusticanae conditionis hominibus factam via juris ordinaria, non autem urbariali prius pertractandam fore, (nro. aul. 11248. locumtenentiali 20857. 1805) — nisi e ratione urgentium adjunctorum e re esse videretur, ut solenis sub praesidio viri autoritate, et quoad fieri potest, utriusque partis fiducia pollentis deputatio exmittatur, meritum inscriptionum, accedente mutuo partium consensu in decisionem sumptura, (ad nrum. aul. 8010. 1812.) dein vero alteram, si seu dominium terrestrale quaestionatos incolas aut urbarialiter aut aliter regulare desiderat, seu si resoluta inscriptione ipsi coloni erga praestationes urbariales terris suis, aut assignandis de praescripto tenutis immanere vellent, post decisionem quaestionis iuscriptionalis praescripto processu urbariali in discussionem assumendam, et decidendam venire.

CAPUT IX.

Quoad fundos sessionales per colonos a dominis terrestribus emptos.

Subditi, qui ante confectum urbarium partim recentioribus, partim antiquioribus annis fundos intra et extravillanos sessionales a dominio terrestrali in diversis summis pecuniariis emerunt,

cum illa conditione quae in venditionalibus literis quoad singulum in copia penes conscriptionem productis deducitur, isti proinde subditi usque effectivam summarum venditionalium per dominium sibi fiendam renumerationem quoad obligationales dominales relinquuntur in statu venditionalium, facta vero summarum venditionalium effectiva renumeratione a proportione expositorum actualium consitutivorum, vel si haec dominium in conformitate b. instructionis regiae ad rotundum numerum adaequare voluerit, a proportione fiendae redintegrationis juxta urbarium ad normam aliorum robottas, et datias competentes praestabunt.

CAPUT X.

De fundis colonicalibus metali controversiae ad processum juris, aut compromissum relegatae obnoxiis.

1mo Objectum metationis judicii ordinarii, aut compromissionalis non usus sylvarum, pratorum, pascuationis communio, aut nova dotationis colonorum norma cum eorundem formali regulatione, ast stricte metalis controversia inter possessiones, et dominia terrestralia, aut inter haec constituit; sensusque legis novellaris art. quippe 23. anni 1802. ubi controversiae metales ad antevertenda majora mala extra etiam juris viam dirimi districtim praecipiuntur, quoad objecta fundos urbariales, et contributionales respicientia, cum laesione

constitutivi sessionalis, et colonorum dotationis diminutione ad viam compromissi nullatenus extendi potest; his enim in spiritu legis et urbarii via solita urbariali prospectum, prospiciendumque est.

2do Urbariales conscriptiones territoria possessionum, et localitates omnium tenutorum designantes, actaque generatim urbariales executionales concernentia, quorum revisio atque approbatio ceteroquin altissimo loco fieri et dari solet, si in processu metali ordinario, aut compromissionali reproducantur, pro documentis domesticis, ceteroquin factum dominii terrestralis nullatenus involventes haberi et reputari non posse, proin in spiritu urbarialis regulationis iis, praesertim in defectu aliorum documentorum eo major fides adhibenda, quod ejusmodi conscriptiones autoritate publica per exmissos magistratuales peragi, et authenticari soleant, adeoque decisio curialis hic applicari nequit, vigore cujus determinatum est, „si iudex comitatensis ad executio„nem, vel alium id genus actum pro testimonio „convocatus super rebus ibidem gestis sub fide„dignitate officii sui testimoniales extradet, illae „pro actu judiciario reputari, per consequens lega„lem probam praestare non possunt, quia talis„modi judex non qua persona publica, verum dun„taxat in qualitate privati testimonii praemisso „actui interfuit, adeoque authenticum de eo testi„monium perhibere nequit. U. T. 1734. C. Hoch„berg contra Lamberg."

3. Principium illud, quod appertinentiae ses-

sionum colonicalium in nullo penitus casu, nequidem erga adaequatam tam in quantitate quam et qualitate praestandam adjustationem a colonis adimi possint, sed quae originarie ad sessiones pertinebant, eaedem in specie, non obstantibus quibuscunque relate ad metas territorii, aut aliis enasci queuntibus circumstantiis, aut mutationibus penes sessionem permanere debeant, nec ex claris urbarialis regulationis tenoribus profluit, nec juribus proprietatis congruit; sed rectus ordo, et ipsa contribuentium conservationis ratio id exigit, ut omnimode praevertatur, ne dum pars terreni per metationem avellitur, colonus relate ad domicilium et personam sub una jurisdictione terrestrali remanens extravillanas appertinentias in alio terreno, et sub distincta terrestrali jurisdictione colendas habeat, et quoad etiam obvenientes praestationes duabus jurisdictionibus obligatus sit, ansaque confusioni, ac occasio jurisdictionum collisioni suppeditetur.

4. In metalibus controversiarum accomodationibus, coloni ab omnibus hac ratione ferendis impensis, et oneribus juxta instr. exeq. mag. cap. V. §. 30. eximuntur.

5. Quamuis dupplicis ordinis decisiones curiales existant, alterius quidem, quod dum partes in aliquem judicem ita compromittunt, ut sententia per eundem ferenda illico et absque ullo impedimento executioni mancipari debeat, tunc parti succumbenti nec prohibitae beneficium competat, quia sub generalitate sublationis impedimentorum partes etiam prohibitam, velut aeque exe-

cutionem impedientem, sibi praescidisse censentur, alterius autem, quod si compromissum ita stilisetur, ut partes decisione illius judicis, in quem compromiserunt, perpetuo contentae esse debeant, tunc parti succumbenti nec novum judicium concedatur, quia praemissa clausula omnia juridica remedia excludit, sensus tamen judicialium harum decisionum intuitu judicii compromissionalis eo pertrahi nequit, ut objecta fundorum contributionalium et urbarialium ceteroquin ad viam politicam spectantia, cum falcidia constitutivi citra partium indemnitatem, judicio compromissionali includenda, decidantur.

Et hinc factum, quod incidenti ex eo, quod in processu metali compromissionali controversiae in disfavorem colonorum büksiensium (bielingensium) principatus batthyanyiani in comitatu castriferrei per legale judicium decisae sint, erga recursum eorundem negotium isthoc se inter et communitatem Szent Kút (Heiligenbrunn) ob avulsam a se occasione metalium controversiarum, sylvae plagam vertens, penes admittendam iisdem probarum exhibitionem noviter assummi et decidi supplicantium, altissimo loco exhibitum, auditis audiendis, sua Majestas sacratissima motivo subversantium processualium circumstantiarum b. resolvere dignata sit, ut parti in hoc processu succumbenti (non obstante pactato vinculo) gradualis intra dominium appellata admittatur, et princeps Batthyányi, qui coram arbitris judicibus causa cecidit, ad celeriorem appellatae prosecutionem invictur. Onerosâ büksiensibus sententia ex-

post per sedriam comitatus reformata existente. Nro. aul. 12558, 1801.

B. Resolutio regia haec aliis quoque casibus, praesertim anno 1812. in via politica agitatis conformiter pertractandis fundamentum suppeditavit.

CAPUT XI.

De ceteris fundorum speciebus, iisque quae relate ad fundos scienda occurrunt.

SECTIO I.

De fundis communibus pariter conscribendis.

Fundi, terrae et prata per communitates in concreto possessa in sua integrali capacitate in tabellis urbarialibus sub rubricis 4 et 5. specifice exprimantur, et inserantur, una etiam qualitas obligationis respectu communium fundorum, si quam praefuisse evictum fuerit, exponatur, ac subinde etiam executionali relationi inseratur.

Si autem hactenus a talibus communibus fundis nihil praestiterunt, id ipsum quoque exprimatur, adeoque quod neque imposterum aliquid praestituri sint, tam dominis terrestribus, quam subditis declaretur. Instr. exeq. mag. cap. 5. §. 23.

Dum ad avulsionem nonnullorum fundorum communium ex parte dominii terrestralis proceditur, eo reflectendum erit, an fundi hi in concreto, vel individualiter dicalem conscriptionem ingressi sint? si ita, quaestionem avulsionis fundorum minima etiam in parte locum haud habentis, penitus cessare; solâ juris, aut usus domina-

lis communione, privativum allodiale vindicandum possessorium nunquam post se trahere queunte.

SECTIO II.

De fundis promontorialibus in agros conversis.

Fundis ab olim promontorialibus in agros conversis, naturam vinearum, ipsamque obligationem dependendi juris montani, atque adeo decimae ab illis praestandae obligationem amittentibus, et hac ratione educillo subditorum ad quadrantem anni solum reducto, decimam ex agris olim promontorialibus dominio non competere, saluis in reliquo, prout ab aliis extirpaturis, ita et ab his pendi solitis censibus dominalibus. Nro. 1356. 27. martii 1775.

SECTIO III.

De fundis sessionalibus colonorum non dividendis.

Fundos sessionales colonorum non dividendos, ne per hanc subdivisionem contribuentes depauperentur, et inhabiles ad onera ferenda reddantur. Nro. $\frac{10453}{22890}$ 1794.

SECTIO IV.

De Canabetis.

Vigore urbarii dominia non sunt obligata colonis fundos canabeto subservientes citra imputationem in sessionalem competentiam exassignare, seu sint in intra, seu extravillano constitutivo. Si canabeta in competentiam extravillani imputata sunt, praeter filaturam etiam nonae depensio de praxi locum habet, si vero ad intravillanum per

tineant, a depensione hac eximuntur. Pro canabetis ultra sessionalem competentiam assignatis dependitur stipulatus census ab uno jugero pro ratione locorum potissimum in 1 fl 12 vel 24 xr. defixus, praestatione nonae locum pro tunc non habente. Libertate attamen agros hos et tales quali demumcunque semine inseminandi colonis relicta.

In processu urbariali dominii Ozora, et Dombovár ad regulationem agitato ad nrum. 8277. locumt. — 6831. aul. — 1812. videre est — canabeta communitatum harum ita innuentibus relatorio executionalibus magistratualium colonis extra constitutivum urbariale a proportione assumptarum sessionum erga depensionem 1 fl. 12 xr. a quolibet jugero, et praestatione saccorum pro frumento dominali quorsumcunque promovendo post integram sessionem jugerum unum — post mediam jugerum medium — et sic porro emensurata esse. Canabeta tamen haec cum nec in libris fundualibus, nec in tabellis urbarialibus exposita cernantur, census eorundem canabetorum in 1 fl. 12 xr. praestatione item saccorum defixus haberetur, in tabellis tamen urbarialibus etiam filaturae praestatio exponatur, siquidem vero constitutiva canabetorum pro parte colonorum tunc solum securisata haberentur, si eadem libris fundualibus, tabellisque urbarialibus inserta existerent, census vero ab illis dupliciter, in obversum instituti urbarialis desummi non possit, hinc penes comitatum dispositum est, quaestionata canabeta respectivis instrumentis inserenda, et pro illis competentem censum defigendum venire.

SECTIO V.

De subvinetis.

Pro subvinetis (Szölö alja) varia pro ratione adjunctorum obtinet solutio, in comitatu sümeghiensi pro talibus fundis in nonnullis possessionibus pro mille orgiis quadratis solvebantur antea annue 75 denarii, in aliis 30 xr. in aliis praeter nonam et decimam 50 denarii. Nullo prinde eatenus certo systemate existente res a mutua conventione dependet, usu adoptato normam praescribente. Si subvineta classem fundorum extirpatitiorum ingrediuntur, dispositiones de extirpaturis praeexistentes observandae, in casum reluitionis.

SECTIO VI.

De cauletis.

A jugero cauletorum solvuntur in nonnullis partibus annue 6 floreni, si in sessionalem competentiam assignantur, nona in natura locum habet.

SECTIO VII.

De fundis propter tabacae culturam neo colonistis assignatis.

ART. 1.

De fundis tabacariis penes guerales tentis.

Plures communitates tabacariae in regno existunt, sic vel e g. in comitatu Torontal, Puszta Keresztúr, Porgány, Majdány, Raba, Kis Beba, et Tervár. Clarafalvenses item nro. 18. et 68. tabacarii hortulani bottkafalvenses neo assumpti.

Tractamentum tabacariarum communitatum generatim nunc quoque idem est, quod antea sub camerali possessorio fuit, ea duntaxat cum exigua differentia, quod de praesenti dominiis suis terrestralibus a tenutis suis secus pro foenisecio destinatis, dum eadem qualicunque semine inseminantur, decimam praestare, in reliquo initae conventioni, stipulatisque conditionibus satisfacere debeant.

In specifico exemplum tractamenti hortulanorum clarafalvensium.

Vigore altissimae resolutionis regiae anno 1777. ad cameralem administrationem editae penes assecurationales vel gverales literas (Gewähr-Scheine, quarum tenores paulo post citabuntur) singulo hortulano in diverticulo Clarafalva ad possessionem Deszka in comitatu torontaliensi spectante sedem figenti (quorum 11 sunt) eodem anno elargitas, domibus ceteroquin provisi obtinuerunt terras, et quidem juxta conscriptionem anni 1780 in fundis extrasessionalibus, omnes insimul agrorum jugera $39\frac{10}{16}$ (pro singulo ultra 3 jugera) pratorum inundatorum et pascui jugera 149. — paludinum $446\frac{3}{16}$ in perpetuum tenendas, usuandas, et pacifice possidendas, erga certa cum hoc possessorio connexa, et in ipsis assecurationalibus expressa onera.

ART. II.

De tenoribus gueralium literarum.

Gewähr-Schein: Für den der Gemeinde Deszka des Rentamtes Kanisa einverleibten Tobakgärt-

ner N. unter dem Haus=Nro. — kraft welchem aus allerhöchster k. k. landesfürstlichen Vollmacht ihm Eingangs=benannten Überland = Tobakgärtner für sich und seine leibliche Erben die in dem Überlands = Grundbuche folio — der Lage, und Angränzung nach beschriebene tot Joch Äcker zum Tobak = Anbau — dann tot Joch der Überschwemmung zu willen ausgesetzte Gründe, und tot Joch Morast, als ein wahres Überland = Eigenthum gegen den dienstfrey zugeschrieben, und gewährt werden, daß er für jedes Joch Äcker zum Tobak = Anbau 40 kr. — für jedes der Überschwemmung ausgesetzte Joch Grund 20 kr. — für jedes Joch Morast 6 k. — und keine Kopfsteuer außer 2 fl. für jeden Knecht, und Sohn über 15 Jahr, dann 20 kr. landesfürstliche und grundherrliche Realitäts = Steuer von jedem Haus, und den Zehend von allen zehendmäßigen Producten zu entrichten schuldig sey. In dessen Urkund folgende Amtsfertigung. Signatum Clarafalva, 6. sept. 1777.

ART. III.

De processibus ad ademptionem tabacariorum fundorum motis.

In processibus relate ad ademptionem tenutorum similium colonistis imminentem, quatenus hi in juribus suis citra praejudicium dominale manuteneri possint, ad sequentia reflectendum est:

1mo. An coloni peculiari contractu impopulationali provisi sint, penes quem fundos suos teneant — anve assecuratorias obtinuerint?

2do qualiter iidem relate ad contributionem tractati fuerint, et quando eidem subjecti? an item fundi illi, qui in certa summa nefors colonis ex-

censuati sunt, quondam contributionis depensioni subordinati fuerint.

3tio An coloni a fundis his contributioni subjectis, ab iisdem qua arendatores taxati, vel vero ab illis connumerationem fundorum contributionalium ingressis directe adinstar aliorum colonorum, praesertim in banatu juxta praevigens systema contributionale contributionem dependerint?

4to An canon censualisticus elevatus sit.

5to si in conscriptione camerali occasione resignationis boni talis, cui fundi tabacae culturae destinati adjacent, fundi similes qui secus jam sub Camerae possessorio contributionalem classem ingressi sunt, sub nomenclatione terrarum allodialium dominalium inserti habeantur, tunc conscriptio cameralis fundo contributionali praejudicare nequit, fundis talibus porro quoque contributioni subjiciendis, salvo alioquin ad Cameram novo possessori eatenus regressu.

ART. IV.

De peculiari casu immunitationis a robottis hortulanorum certi parochi ex parte dominii ad subinquilinares praestationes adigi desideratorum.

Societate navali bácsiensi tres hortulanos, quos parochus szontensis pro cultura tabacae in dimida parte falcastri ad liberam sessionem parochialem pertinentis illocaverat, ad praestandas dominio terrestrali robottas adigente, maxime iis ex motivis, quod sessio colonicalis, quam parochus ex munificentia dominii terrestralis tenet, urbarialis sit, adeoque ad jurisdictionem imme-

diatam dominii terrestralis, quod nunc societas navalis repraesentat, pertineat, ac unice parochus usum fructum sessionis illius gratis habeat, in reliquo parochus dominatum in dominatu juri proprietatis adversum exercere nequeat, hortulani autem rusticae conditionis, rusticoque labore in terreno dominalis proprietatis viventes, praecepto cap. II. §. 3. p. 5. Instr. exeq. mag. censui subinquilinari directe subjiciantur. — Porro fundum, quem terrestrale dominium e sua liberalitate parocho titulo facilioris intertentionis usuandum assignat, pristinam suam naturam haud exuere, neque parochum plus juris, quam quod in eundem translatum fuit, sibi vendicare posse, neque hic agi de servitute quapiam per ipsum parochum praestanda, verum de obventionibus dominio a subinquilinis casum etiam in eum competentibus, si tales apud nobilem fundum colonicalem excolentem domicilientur, semper enim relate ad personam jurisdictioni dominali subjiciuntur, in proprietate dominali vivunt, porro, quod utique aliter vix fieri potest, pecora cujuscunque categoriae servent, de communi pascuo participant, verbo illis, quibus ceteri subinquilini, beneficiis fruuntur, accedat, quod plurimum intersit, liberalitatem dominiorum terrestralium circa meliorem parochorum subsistentiam animare potius, quam eosdem domino terrestri aequiparando, tali ratione similibus provisionibus impedimenta ponere.

B. Resolutio regia: Cum similium quaestionum velut cum urbario in nullo nexu exi-

stentium dijudicatio ad sedem dominalem neutiquam pertineat, hinc in conformitate b. resolutionis regiae penes comitatum bacsiensem dispositum est, ut immunitatem sessionis parochialis, et fundorum ad hanc spectantium, ab omni dominalium obventionum onere in sensu legis, et normalium resolutionum pro munere suo manuteneat, et in quantum hortulani parochi ad subinquilinares praestationes adacti fuissent, his plenam indemnisationem procuret.

Nro. 4784. aul. 1812. 1, maii.

SECTIO VIII.

De fundis per servitores tentis.

Fundi immobiles per servitores dominales tenti a contributione eximi non possunt, proinde eidem subjiciendi veniunt. Idem etiam de comitatensibus conventionatis, et ceteris servitoribus intelligendum est; eo addito, quod concessae his, et similibus individuis a contributione immunitatis onus aliis impositum cum eo quod interest, his et in casum falcidiae fundo contributionali publico resarciri debeat.

SECTIO IX.

De agris in hortos haud convertendis.

Pro futuro nullatenus admittatur, ut agri sessionales cum dispendio agriculturae in fructiferos hortos convertantur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 12. florentis agriculturae status et agricolarum

classis indicat clavim nationalis culturae, et caracteris.

SECTIO X.

De calcaturis fundorum.

Calcaturae fundorum communiter in Hungaria tres constituunt classes, hinc inde sunt duae, ubi autem terrenum prorsus sterile est, quatuor obtinent calcaturae. Sectio harum una subseruit autumnalibus, alia hibernalibus sementibus. Tertia relinquitur pro vervacto. Quaestione an spectato localitatis regni situ vervacti necessitas sit, vel non, anve hiemalis pabulatio domestica cum lucro fundorum oeconomiae, prout in nonnullis dominiis usu venit, generatim introduci possit, ad aliam sphaeram pertinente.

SECTIO XI.

De terris dominalibus per colonos in pruneta conversis qualiter recipiendis.

Terras dominales per colonos non in finem colonicalis destinationis aut eorundem dotationis urbarialis, verum plantatis fructiferis arboribus in hortos et pruneta conversas, dum dominium jure proprietatis evictae ad se recipit competenter, tunc tales horti praemissa arborum in iisdem plantatarum, aliorumque superaedificatorum in praesentia legalis testimonii, per homines impartiales ex vicinis extraneis possessionibus vocatos, praevie ad fideliter aestimandum juramento adstrictos, peracta abaestimatione, et subin per dominium in eodem defixo aestimationali pretio fien-

da reluitione a subditis adimi possunt, privativo dominii juri, et possessorio reincorporandi eo isthic attacto, quod meliorationes, et investiturae pariter bonificari, et similia objecta sua forma, et modo pertractari, et decidi debeant.

SECTIO XII.

De fundis sessionalibus ministris, et ecclesiae protestantium competentibus.

Siquidem ex lege art. quippe 26. 1791. ministro saltem una sessio, ludimagistro autem media competeret, quod superest, occasione regulationis tenutorum comassandum est. In quantum ecclesia talis in tenutorum possessorum usu ante latam jam legem 1791 fors praefuisset, in tantum turbari non potest, in quantum vero prodiret, quod in usu tenutorum ante latam legem non praefuisset, sensus legis observandus. —

Esto quidem citato articulo in specie §. 10. et 12. cautum sit, ne fundationes evangelicorum pro ecclesiis, eorumque ministris constitutae, ac imposterum constituendae ab iisdem ullo sub praetextu adimantur, verum status actualis possessorii pro cinosura ea ratione assumatur, ut fundationes catholicorum pro catholicis, evangelicorum vero pro evangelicis deinceps convertantur, adeoque ab ulteriore harum repetitione pro futuro ab utrinque praescindatur, cum interim juxta genuinum spiritum et sensum dicti articuli ad categoriam praeallatarum fundationum et dotationum illae solum

recidere queant, quae per ministros utriusque confessionis penes specialem concessionem dominalem, aut legitimorum possessorum possidentur, et e converso illae fundationes, quae seu via facti occupatae, seu absque consensu dominii terrestralis, et legitimorum proprietariorum ad possessorium concernentium ministrorum precarie, et illegitime devenerunt, sub ictum legitimarum fundationum, nulla ratione pertrahi quirent, tunc in tali casu citato articulo insistendum esse. Nro. 10164 1807. aul.

Pro basi autem, et fundamento quaestionis in casum quo haec surgeret, ad mentem h. resolutionum regiarum pro justo, et aequo decidendae, semper summi debet actualis status possessorii tenutorum, et usus exercitus, non enim suprema executiva potestas unquam admittit, ut quis subditorum ex pacifico antea non turbato usu, et possessorio beneficiorum suorum excuti, et sustentationis suae mediis vel in parte etiam privari possit; pastoribus animarum et cujuslibet ecclesiae fundationibus ceteroquin in omni statu praecipuam regiminis attentionem et reflexionem merentibus.

CONSTITUTIO

REI URBARIALIS REGNI HUNGARIAE.

PARS II.

PARS II. DE COLONIS.

CAPUT I.

De colonis in specie.

SECTIO I.

De colonorum conditione.

Colonorum conditio radicatur in b. rescripto regio die 4, octobris 1785. nro. 23219. publicato, et quidem.

ART. I.

De libera colonorum migratione generatim.

Omnis subditus liberae sit migrationis; (cessat proinde provisio urbarii in instructionis exequentium magistralium cap. II. §. 3. ubi statuitur, quod si inter dominium et subditos quoad perpetuitatis, et liberae migrationis conditionem, quaestio exoriretur, et alia proba deficeret, assumantur 32. anni praescriptionales).

ART. II.

De libertate matrimonii, et applicationis.

Liberum sit subditis absque indultu dominii matrimonium inire, ad studia vel opificia se applicare, et ea prosequi.

ART. III.

De libertate conventionis ad servitia.

Non licebit dominio subditum, aut ejus filium, vel filiam ad servitia sua domestica adigere, verum id ipsum a libero subditi arbitrio et ineunda conventione dependebit.

ART. IV.

De libera rerum et aquisitorum disponendi facultate in sensu legis.

Subditus mobilia et aquisita bona condigna aestimatione, agros, prata hortos, molas, vineas vendere, donare, cambiare, impignorare et legare poterit, ac libere de iis disponere, salvo domini terrestris jure perpetuo, ita tamen, ut onera talia tenuta manentia nisi ea dominus ad se redimere vellet, in legatarium, emptorem, et cessionarium transmigrent. Respectu hujus puncti tamen diserte praescribitur, ut colonis explanetur, quod punctum hoc in sensu legum patriae intelligatur.

ART. V.

De stabilitate colonorum sessionalium.

Subditi e suis sessionibus et fundis absque sufficienti causa, et sine scitu comitatus ne moveantur, et nec ex uno loco aut comitatu in alium contra voluntatem translocentur.

ART. VI.

De fiscali assistentia pro querimoniis complanandis.

Quoad reliqua hic non attacta subditi juxta praeexistentes dispositiones tractentur, et si injuriam patiantur, comitatus fiscalem eis assistentiam

assignet, et remedium procuret. Urbar, p. 6. et partis 3. tit. 29. 30.

SECTIO II.

De colonorum migratione in specie.

ART. I.

De legali eatenus provisione decretali, et sublato perpetuo jobbagionatu.

Cum non modo juribus humanitatis sed et bono publico conveniens esse agnoverint status et ordines regni, ut perpetua colonorum servitus (örökös jobbágyság), quae jam antiquis etiam temporibus, ut pote sub Sigismundo art. 6. et 14. 1405. — sub gubernatore Michaele Szilágyi art. 15. 1458. — sub Ferdinando I. art 26 et 27. 1547. 34. 1550, — Maximiliano art. 27. 1566. aliisque compluribus regni legibus abrogata, vicisitudine temporum non quidem universaliter per totum regnum, sed in multis ejus partibus, et locis ab immemoriali tempore rursus introducta fuit, more majorum, nunc iterum libera quoque statuum et ordinum regni voluntate per legem publicam tollatur.

Ideo omnibus colonis aut subditis libera migratio ea ratione denuo restituitur, ut depositis tam publicis quibusvis, quam dominalibus obventionibus, meliorationes, et superaedificata (non computato tamen fundorum velut ad dominum terrestrem pertinentium, et materialium per eundem dominum suppeditatorum pretio) per judicem nobilium cum interventu dominii terrestralis conscientiose aestimanda vendere, venditione

non succedente (alioquin quibusvis terrae infixis in conformitate art. 22. Ulad. decret. 2 dominio terrestrali cedentibus) et cum rebus suis erga excipiendas nihilominus testimoniales vicecomitis concernentis comitatus, et dominii terrestralis (quas dominium terrestrale datis jam per vicecomitem testimonialibus sua ex parte nullo sub praetextu negare possit) praeviamque circa festum st. Michaelis archangeli insinuationem in certo termino, festo quippe Gregorii papae, adeoque non quovis anni tempore libere quo voluerint, se transferre permittantur. Quo nihilominus omnis dolus et fraus per clancularie attentandas colonorum migrationes, et receptiones praecaveatur, domini terrestres migrantes hujusmodi colonos sine testimonialibus praedeclaratis recipere non possint, secus autem facientes poenae contra detentores fugitivorum colonorum statutae et refusioni quorumvis debitorum, sive publicorum, sive privatorum per ejusmodi colonos contractorum, expensarumque in litem erogandarum subjiciantur. Ne tamen partes aliquae regni populo nudentur, et cum detrimento status publici periculo desolationis exponantur, invigilabunt comitatus, ne numerosae, et cum notabili fundi publici detrimento aut integrorum locorum desolatione conjunctae e sui gremio emigrationes eveniant. Art. 35. 1791

ART. 11.

De iis, quae relate ad migrationem colonorum de praxi observantur.

1. Migrare volens ante omnia coram domino terrestri suo locum futurae mansionis et vitae ge-

nus, quod amplecti intendit, legitimare, et consensum ejusdem super praeconcepta migratione expetere tenetur, quam dominus terrestris, si colonus praescriptis conditionibus satisfacit, sine ulteriori difficultate elargiri obligatur.

2do Conditiones autem sunt, ut migraturus non modo universa publica, ac dominalia onera usque tempus migrationis obvenientia, sed et ad exigentiam art. 28. 1556. debita sua, in quantum haec liquidata, et legitimata fuerint, depurare teneatur.

3tio Migraturi aedificiorum et sessionalium appertimentiarum in spiritu art. 27. 1547. debitam curam habere debent, meliorationes vero et superaedificata propriis sumptibus, et materialibus procurata, in sensu citati art. 35. 1791. vendendi facultas in salvo maneat.

4to Terminus migrationis juxta legem observandus.

5to Si dominus terrestris liberam migrationem coloni, depuratis jam depurandis, seu in persona sua, seu in rebus impedire attentaret, dominus terrestris publica actione magistratuali ad poenam arbitrariam, et compensationem damnorum convenitur.

6to Advenae ad dominium sine scitu dominali non recipiantur. Urbar. p. 8. §. 18.

SECTIO III.

De eliminatione colonorum.

Id cum recto ordine in urbarialibus conciliari nequit, ut eliminationes sententiâ per dominium

lata, post publicationem effectui mancipetur; absque eo, ut illa ad sedriam in viâ appellatae transmittatur; gravissimae autem causae adesse debent, ob quas sententia eliminationis ferri possit.

Benigna Resolutione regia ad nrum art. $\frac{12847}{12848}$ 1801. emanatâ dispositum est, ut casus eliminationis colonorum sua via et forma decidendi, ante executionem semper suae Majestati sacratissimae pro b. resolutione substernantur.

SECTIO IV.

De mulctis colonorum, et contrabandis.

Mulctae pecuniariae (birsagia) sub quocunque praetextu non alias, quam in expressis lege regni casibus solum a subditis in sedibus dominalibus, praesente articulari testimonio comitatus, (et fisco magistratuali) legitime convictis, salva ad sedriam appellata desumantur. Urbar. p. 8. §. 1.

Non absimiliter circa mulctas praeter birsagiales, dum de damno in campis illato, et de invagiatione pecorum, et pecudum agitur, provisio legis observetur. Ibid. §. 2.

In reliquo excedentes, aut delinquentes coloni puniantur una, duabus, aut tribus manualibus robotis extra tempus campestrium laborum praestandis, in casu ubi subditus poena corporis afficiendus est, plectatur ad summum 24 ictibus baculorum vel scuticarum. Ibid. §. 3. Si ratio aetatis aut corporis non admittit, ad summum 3. dierum aresto §. 4.

Contrabanda statuitur in gallarum collectores,

et glandium decussores urb. p. 8. §. 11. p. 2. §. 8. — arma portantes p. 8. §. 12. (de quibus mox uberius); carnium emacillatores §. 15. — vini educillatores §. 13. puncto 8. — frugum contrabanda, si fruges recondantur in banatu occasione decimae conscriptionis. Urbar. banat. cap. V. p. 5. Subditi quaestum cum naturalibus exercentes, contrabanda aut alia poena nullatenus afficiantur. Urb, p. 7. §. 3

NB. De armis, rusticis, et ipsis etiam libertinis servari interdictis.

Arma rusticis dictamine etiam art. 60. Ulad. Decr. VII. sunt vetita; quaestione proin circa hos prorsus cessante, videndum, an arma libertinis, seu ex lege, seu ex natura rei competant? (vide urbar. p. 8. §. 12.)

Cum libertinos in articulo 60. 1514. arma vetante sub ly rustici, comprehendi ipsa personalis eorundem conditio innueret, et esto munificentia dominicae potestatis, subditales eorum datiae in difformes et leniores a reliquorum subditorum obligationibus, transmutatae, vel plane ab omnibus his sub certis conditionibus privilegiati, et liberati essent, perque libertationem hanc, una etiam nomen libertinorum consecuti forent, sed quia primam rusticanam et plebeam eorum conditionem nullatenus munificentia haec dominicalis in aliam eminentiorem transformare posset, ex quo juxta titulum I. 6. hanc, nisi solus rex, dum quoscunque plebeae conditionis homines a rusticitatis, et ignobilitatis servitute eximendo nobilitat, eminentiorem faceret. Accedit et id, quod

cum omnium rusticorum qua ignobilium per tit. 16. III. aequale constitutum habeatur homagium, libertinos, ignobiles, adeoque et rusticos stricte tales esse, ex sola hac identitate homagii eo minus negari possit, quo clarius liquet in toto codice juris patrii nullam de libertinorum diverso a rusticorum homagio legem extare.

Articuli 14. 1557. — 8. 1569. — 3. 1574. — 26. 1647. loquuntur de libertinorum sola dicatione et taxatione, non vero diversa a rusticis personali eorum conditione; articulus vero 128. 1647. de solis libertinis st. galiensibus, quos alter articulus 24. 1618. nobiles appellat, tractaret, et horum unice mentionem faceret, hic itaque cum injuria libertinorum istorum, qui nobiles sunt, ad libertinos, qui conditione sua personali rustici sunt, applicari nequit.

Sed nec ex natura rei arma libertinis restitui possunt. Verum quidem est, hos olim partim qua equites, partim qua pedites armis, et aliis modis dominis suis servire praeprimis occasione belli debuisse, subin nihilominus introducta jam generali urbariali colonorum regulatione, et praecedaneis horum obligationibus, et quidem in specie cum armis serviendi, per urbariales contractus ubivis partim ad paratae censum, partim in alias personales arma non praerequirentes obligationes reductis, prior usus penitus jam pro futuro cessavit, et praedicta regulatio necessitatem his armorum praeclusit.— Argumento eo, quod fine tuendae domesticae tranquillitatis teneant, latronesque et praedones armis persequi debeant, per publicam provisionem suapte alioquin cessante.

SECTIO V.

De contributione colonorum, judicibus, et ceteris individuis; electione eorundem, et locali jurisdictione.

ART. I.

De contributionalis quanti repartitione, et incassatione.

Contributionalis quanti repartitio fiat inter subditos sub cura dominii secundum comitatus ideam. Dominium a judice rationes eatenus exigat, hoc autem intermittente comitatus. Urbar. P. 9. §. 3.

Incassatio tamen contributionis unice penes communitates, et judices locorum permanet, absque eo, ut dominium aut ejus officiales se hic immisceant. Ibidem. §. 5.

Quantum contributionale relate ad totum regnum secundum portas (quae in regno numero 6210$\frac{3}{8}$ sunt, ad quarum unam juxta diaetam 1765 — 550 fl. 58 xri. — 688 fl. 50 xri. — juxta diaetam anni 1802. — 782 fl. 51$\frac{3}{8}$ xri. — una cum conductionali tironum subsidio 814 fl. 51$\frac{1}{8}$ xr. obtigere,) relate autem ad possessiones comitatuum secundum dicas tanquam ideales dividentes ejectatum, non ingreditur sphaeram urbarialem.

ART. II.

De fundi contributionalis conservatione.

Casus saepe oriuntur, ubi officiolatus dominalis, in majoribus praesertim oppidis, domos oneri contributionali subjectas, pro usibus

dominii privative emit, et dein inhaerentem iisdem contributionem dependere rennuit: quid igitur in talium decisione tenendum? Si quaestionatae domus semper tam dicalia communitatis regetra, quam etiam regias conscriptiones ingressae, onerique contributionali subjectae fuerint, non obstante quod onus non inhaereat fundo, lege hac ceteroquin horsum penitus inapplicabili, tales domus ultro quoque contributioni subjiciendae sunt, si autem hae domus propter fundatas causas citra notabile dominii terrestralis detrimentum oppido, vel alteri loco restitui nequirent, idem dominium per excisionem aequivalentis ex proprio suo, et privativo dominali tenuto adaequatam bonificationem praestare teneatur, oppidum autem assignandum sibi praeattacta modalitate aequivalens illico contributioni subjicere, idque ea ratione obligatur, ne fundus contributionalis vel in minimo detrimentum patiatur. Nro. 8930. 1806.

ART. III.

De judicibus, juratis, et notariis locorum.

Pro judice loci dominium tres proponit, e quibus communitas eligit in praesentia officialis dominalis, quem dominium pro demerito amovere et punire potest, in cujus demum locum alter praescripta modalitate substituendus erit.

Juratos et notarium communitas absque influxu dominii eligit, et dimittit. Urbar. p. 9. §. 1.

Judices nullatenus a contributione eximantur. Urbar. p. 9. §. 2.

In Banatu cap. VII. urbarii sine scitu do-

minii electio judicis locum non habet, sed tali electioni semper quis ex parte dominii interesse debet. Ex tribus per dominium aptis individuis pro judice propositis fit ille, qui vota plurima habet. Votisatio competit sessionalibus colonis, non vero inquilinis, vota autem debite colligantur.

Judicis officium durat uno anno, et occipit cum 1. novbr. functus bene officio suo judex, semper venit in candidationem, si non rite obivit officium, non tantum occasione novae electionis exmittitur, sed potest etiam intermedio tempore ex officio deponi. Ipsius incumbentiae est, non tantum contributionem incassare, sed etiam generatim communitatis rationes adscitis una juratis curare. Electio novorum juratorum, vel confirtio antiquorum pendet pariter a dominio. Judices, et jurati invigilare debent ordini manutenendo, et excessibus omnibus atque defectibus impediendis.

Anno 1771 16. aug. nro. 4596. universis comitatibus intimatum est, judices duos constitui debere in locis, quorum territorium esto sub eodem nomine, realiter tamen per dimensionem separatum est propter diversitatem jurisdictionis.

ART. IV.

De judicatu perpetuo, et de scultetis.

Dantur in Hungaria, in comitatibus praesertim superioribus, ut pote Trenchin, Arva, et Lypto etc. scultetiae, peculiares literas contractuales antiquis temporibus a dominis terrestribus sibi collatas habentes, quibus certae plagae pro fidelitate,

et servitiis erga certas summas pecuniarias, et obligationem cujuspiam praestationis assignatae, et etiam prae aliis colonis praerogativae quoque nonnullae concessae fuere, ut per propagationem tales familiae sculletiales jam occasione urbarialis regulationis auctae et populosae fuerint. Videntur hac scultetiae inscriptionalistis talibus, de quibus instructio exeq. mag. cap. 2. §. 3. p. 8. agit, quadamtenus aequiparari posse.

Meritum scultetiarum dignum foret peculiari elaborato; quod ad sphaeram urbarialem non pertinet.

Anno 1773 die 20. jan. nro. 5868. quoad scultetos decrevit sua Majestas sacratissima, ut perpetui eorundem judicatus officium, velut tam publico, quam et ceteris colonis perniciosum, universaliter simpliciter abrogetur.

Et quia penes literas sculletorum inscriptionales ipsi sculteti, seu inscriptionalistae potissimum lenius, ac per ipsam urbarialem regulationem in praestationibus dominalibus haberi, onus tamen publicum aliis cum colonis aequaliter ferre observarentur, ideo omnes ii, qui perennalibus literis inscriptionalibus, seu in toto, seu saltem in parte usu firmatis provisi reperiuntur, ab urbariali quidem regulatione, nisi ipsi hanc praeeligerent, eximendi erunt, omnium tamen literae inscriptionales in sedria comitatus ea cum observantia renoventur, ut in his exmisso universaliter jam abrogato perpetui judicatus officio, cumprimis inscripta, et de praesenti effective posses-

sa beneficia distincte specificentur, dein vero obvenientes seu in pecunia, seu naturalibus, aut etiam laboribus praestationes, secundum actualem usum clare ac specifice exprimantur, et in quantum indefinitae essent, ad determinatam quantitatem, et numerum reducantur, atque hac ratione renovatae literae inscriptionales subin in 4 exemplaribus expediendae, via Consilii reg. locumt. pro suprema inspectione suae Majestati sacratissimae exhibeantur.

Quantum vero illos concerneret, qui temporalibus duntaxat inscriptionibus provisi sunt, liberum sit dominis terrestribus, expletis conditionibus, ac respective depositis summis inscriptionalibus tales urbariali regulationi subjicere, unde etiam in omnem eventum nunc pro tunc omnes hujuscemodi temporanei incriptionalistae, cum suis futuris urbarialibus praestationibus communi tabellae urbariali inserendi venient.

Ceteri porro praetensi sculteti, qui sine productis literis inscriptionalibus solo praehabito usu libertatem suam tueri contendebant, communi urbariali regulationi subjiciantur, sculteti dicaliter concribantur, et contributioni subjiciantur. Eodem anno 7. januarii nro. 206.

ART. V.

De *restaurationibus, et jurisdictione oppidanorum magistratuum.*

Quoad restaurationes has communiter id in sensu b. dispositionum observandum, ut secundum praeexistentia statuta, praeter unum officialem domi-

nalem cum duobus vel tribus votis praesentem, nullus alter officialium dominalium, actui restaurationis intersit, et si quem eo venire (quod utique licet) contingeret, hic absque voto interesse debeat. Nro. 8930. 1806. 12. septemb.

Jurisdictionem oppidorum privilegiatorum non fundamento proprii juris, sed jure dominali in communitatem cum regulata dependentia translatam esse, atque ideo talem communitatem una cum suo magistratu, dominum terrestrem, qua talem recognoscere debere, et tam in personalibus quam realibus objectis, jurisdictioni dominatus terrestralis obnoxiari, per id non intelligi; quin oppidum tale privilegiatum nomine privilegiati, et incolae nomine civium, aut oppidanorum privilegiati oppidi compellari, et magistratus eandem compellationem, quae alioquin praeexistentibus in regno contractualibus locis privilegio confirmationali provisis communis esse solet, et ordinaria, uti valeat. Nro. 8930. 1806.

B. Resolutio regia quoad jurisdictionem oppidi, seu civitatis episcopalis nitriensis die 6. sept. anno 1754 emanata.

Quaestione quoad dominalem jurisdictionem ad competentem juris viam remissa, in reliquo, siquidem memorata civitas praeter alia in exercitio privatis querulantibus justitiae administrationis in hodiernum semet praefuisse, processu quoque episcopi nitriensis coram senatu ventilato, quoad se vero in concreto lite conveniendi modo processu alio per capitulum nitriense contra civi-

tatem eandem non in foro dominali, ast comitatensi subesse sat clare remonstrasset, hinc eadem civitas in ordine administrationis justitiae privatis debitae, in dispositione art. 79. 1647. in ordine vero ad ipsos in concreto lite impetendi, modo art. 91. ejusdem anni, velut usu in praesens vigente formata relinquatur, conserveturque. Ex Consilio locumt. Posonii.

In causa episcopi nitriensis contra oppidanam communitatem nitriensem 18. martii 1765. decisum:

Vigore donationum, et privilegiorum oppidanis clementer elargitorum.

1. In privilegiis descriptae terrae, et diverticula spectant ad usum et possessionem perpetuam oppidanorum; adeoque sylvarum et quorumvis nemorum, agrorum, vinearum, aquarum usus, et quaevis beneficia ipsi quoque utiliter competunt.

2. Unde etiam cives et incolae recipi, migrare, domus et fundi civiles emi vendique libere semper possunt.

3. Caducitates quoque in fundis immobilibus ex usu veteri eosdem respiciunt.

4. Judex, capitaneus, et jurati, totusque senatus per eosdem eligi, per hos vero universae causae, sive civium inter cives, seu vero extraneorum contra privatum quempiam incolam, ratione debitorum, fundorumque, aut aliarum quarumvis causarum civilium ex privilegio, observataque hactenus consuetudine dijudicari possunt.

5, Fora annua, et hebdomadalia, educillum item medii anni ipsis competunt.

6. Judicem, qui e numero candidandorum per episcopum civium electus a communitate fuerit, episcopo pro confirmatione praesentare debent.

7. Caussas appellatas ad sedem dominalem transmittunt.

8. In discussione vero causarum criminalium, aut talium, quae oppidanos in concreto, seu active seu passive tangunt, velut ad sedem dominalem pertinentes, semet nullatenus immittere possunt.

De cetero directum dominium, et jus terrestrale, vigore sententiarum curialium, pro parte episcopatus, tam quoad oppidum Nitra, quam et terras ad illud possessas stabilitum, idem episcopatus jure sibi incumbente perpetuo possideat.

ART. VI.

De ludirectoribus.

Quamvis communitas absque dominio eligat et dimittat notarium, et juratos (urbar. p. 9. §. 1.) attamen unice communitatis electioni ludimagistros comitti non posse, verum hos principaliter per parochum, cui scholarum trivialium cura incumbit, cum interventu nihilominus communitatis constituendos, et re ita ferente e servitio quoque amovendos esse, una tamen communitatibus etiam liberum dein manere, an hos ludirectores ad tradendas triviales et peragenda etiam ecclesiae servitia, ceteroquin aptos, simul pro notariis quoque suis eligere velint. de dato 7. apr. 1774. Nro. 1642.

ART. VII.

De immunitate poparum non fungentium a capitis taxa.

Anno 1779. die 24. septbris. Cum numerus domorum pro fundamento exercitii religionis non unitorum assummi nequeat, consentaneum fore, quod in locis exercitio religionis destitutis, etiamsi illic domus non unitorum numerum 130. superarent, si communitas presbiterum intertenere vellet, indultus regius ad hoc necessarius sit.

Ne in agravium miserorum contribuentium numerus poparum ultra necessitatem augeatur, multo minus vero illis, qui superflui sunt, immunitates consuetae tribuantur, hinc anno 1778. 7. aprilis intimatum est, popis non fungentibus ultra immunitatem a capitis taxa, ob caracterem quo qua presbiteri insigniti sunt; aliam haud competere, neque fungentibus onere animarum curae gravatis, quod meritum his concessae immunitatis constituit, aequiparari valere.

SECTIO VI.

De debitis colonorum, vel communitatum.

Sine indultu dominii non est licitum communitatibus debita facere. Urbar. p. 8. §. 17. Interusuria autem a debitis non in aliis naturalium speciebus, ast unice in parata, neque ultra 6 pro centum dependantur, 1775. 23, octbr. nro. 4821. Debita colonorum, seu ex censibus, aut aliis solutionibus praestari solitis, seu ex ipso mutuo originem trahentia, neque interusuria abinde pro-

fluentia, robottis, aut aliis servitutibus per dominia terrestralia limitandis, contra resensum, et voluntatem subditorum exigi, aut depurari possunt; sed eam rationem isthic ineundam esse, quae conservationi plebis contribuentis, ceteroquin multis oneribus subjectae, comparative etiam ad vires ejusdem et locales circumstantias, praeprimis superioritati, accedente mutuo consensu accomoda esse videbitur.

Quod excessus interusuriorum concernit, communitates querulantes ad ineundum cum creditore suo dominio coram dominali et comitatensi persona computum, suo legali modo invientur, ac ita demum id, quod ultra légalem censum, adeoque excessive in naturalibus, vel aliis praestationibus perceptum fuit, in defalcationem ipsius capitalis imputetur, si vero excessiva ejusmodi interusuriorum perceptio refundenda difficultaretur, in puncto hoc morosum dominium judicialiter admoneatur, admonitioni parere nolens actione fisci ad id adigatur praestandum, pro futuro autem disponatur, ut ab istiusmodi debitis interusuria non aliis naturalium speciebus, ast in parata dependantur, haecque ad 5 vel etiamsi fieri potest ad 4 pro centum reducantur, nulla ratione censum legalem 6 procentum superare valentia, quo hac ratione contribuens ab onere interusurii sublevari quadamtenus possit.

CAPUT II.

De participatione jurium dominalium colonis urbarialiter concessa.

SECTIO I.

De juribus dominalibus respectu fundorum jure dominii possesorum.

ART. I.

De principio, et resultato proprietatis dominalis ex urbariali visus puncto.

Dominalia jura respectu fundorum jure dominii possessorum in locis, ubi libera emptio et venditio usu roborata locum non habet, exposcunt, ut tantum superaedificata, et non ipse fundus inoneretur, fundus quidem cum superaedificatis in alium convento pretio, accedente dominii consensu vel cum ejusdem scitu transferri possit, sed ea semper cum praecautione, ut si abaestimationi (vel revindicationi) locus esset, seu ipsum dominium in sensu legis nonnullis egeret fundis, idem tantum superaedificata juxta condignam aestimationem, non vero ipsam fassionalem summam exsolvere obligetur; hinc venditiones (et abalienationes) quae salvo jure dominali interveniunt, substernuntur ratificationi dominali, dominium nonnisi saluo hoc redemptionis jure sensu tit. 30. part. 3. dispositione, emptionem probare solet, una advertere consvevit, ne translationes in tales fiant, qui sub praetextu personalis suae praerogativae subinde ipsam etiam fundi immunitatem pi-

scari possint; hoc principio abunde et securitati fundi contributionalis, et faciliori colonorum subsistentiae, per similes usurpationes nimium quantum attenuandae prospicitur, provideturque una exactae observationi b. dispositionum regiarum circa conservationem contribuentis iterato emanatarum. Argumentum in reliquo ex eminenti jure dominali desumptum patet nimis late, non tamen in obversum legis, et altissimarum resolutionum in negotiis urbarialibus, et contributionalibus praeexistentium, praestabilitorumque eatenus principiorum extendi potest. Hac proprietatis dominalis eminentia et legibus, et b. resolutionibus regiis restricta existente, in eum casum, ubi proprietas haec cum reali colonicalium fundorum pro arbitrio dominorum terrestrium dispositione in collisionem venire, et fundo contributionali urbariali praejudicare velle videretur.

ART. II.

De juribus regalibus dominalibus generatim, urbario attactis.

Dominalia jura, in quantum urbarium hungaricum eadem complectitur, p. 6. sequentia sunt; 1. Jus successionis in caducitatibus colonorum. 2. Cura pupillorum, 3. Relate ad bona profugorum colonorum. 4. Venatio, piscatio, aucupium colonis interdicta. 5. Epocillatio, et praeparatio liquorum. 6. Proventus macelli, fori, telonii et nundinarum; de quibus suis locis meritorie agitur.

Decisio curialis: Oppidis privilegiatis educil-

lum, macellum, venatio, piscatio, aucupium, aliaque idgenus jura regalia non competunt, nisi expresse privilegiis inserta sint, et penes talismodi privilegia in usu eorundem beneficiorum praeextiterint. Quia similia beneficia, tanquam immediate ad eminens jus terrestrale pertinentia dominis terrestribus abstrahi non possunt. Tabula septemviralis 1747. 1757. fisci regii contra oppidum Rosenberg Lypcse, episcopi jaurinensis contra oppidanos sabarienses.

ART. III.

De juribus dominalibus in banatico urbario definitis.

Juxta urbarium banaticum cap. VI. sequentia enumerantur.

1. Siquidem colonis districtus hujus, translatio sessionum de haerede ad haeredem, prout et venditionis jus admissum est, dominium terrestre dum colonus nullos successionis capaces haeredes relinquit, neque de rebus suis, quo tamen fundus sessionis colonicalis non pertinet, testamentaliter disposuit; habet vigore etiam tit. 30 Part. 1. Jus successionis. Cura pupillorum, pertractatioque substantiarum demortuorum colonorum dominio incumbunt.

2. Venatio, piscatio, aucupium tenore articuli 18. 1729. sunt dominalia regalia jura pro dominiis unice reservata, sub his tamen palludes illas non intelligi, quae nonnullis communitatibus pro necessario arundineti usu, velut proprietas assignatae sunt, in quibus piscatio respectivis communitatibus porro etiam in salvo manet: (prout etiam de usu in rivulis).

3. Epocillatio eo etiam tempore in diversoriis admissa, dum coloni quoque vigore articuli 36. 1530. educilli jus exercent.

4. Proventus fori et nundinarum pertinet ad jura dominalia, nisi per privilegium vel diuturnum usum ex parte dominii colonis admissum, iisdem illud competat. (Usus enim in similibus beneficiis regulam tractamenti non facile alterari queunti determinatam ponit.)

5 Jus inspectionis rationum communitatis, earundemque discussio, tempore quo dominio placuerit.

6. Jus praeemptionis pro dominio vigore articuli 75. 1723. relate ad ea tantum extenditur, quibus dominium pro proprio usu indiget, penes depositionem pretii, quod extraneus dare vult; (aut quod localium adjunctorum usus determinat) abusibus in contrarium h. hujus dispositionis ubicunque observatis, cum eo, quod interest, autoritate etiam magistratuali e vestigio sufferendis, praesertim, ubi officiolatus dominales cum naturae productis a subditela speciose procuratis, localem in casu necessitatis quaestum, et monopolium exercere velle observarentur.

Insuper dominium potest subditos renitentes aut positiva negligentia contra obligationem agentes punire, non tamen mulcta pecuniaria, sed vel 2. aut 3. dierum labore, moderata corporali poena, vel aresto, quod interim longum tempus propter oeconomiae neglectum non efficiat, non pluribus, quam 24 baculorum ictibus plectantur, ratione tamen aetatis, virium, et corporis constitu-

tionis eatenus semper habitâ, feminae scuticis plectendae.

SECTIO II.

De successione in caducitates subditorum.

ART. I.

De pertractatione caducitatum.

Caducitates subditorum per subditos non usurpandae, sed illico dominio detegendae, et prout has ita et profugorum bona, salvo articulo 18. 1723. dominus terrestris, sensu tituli 30. p. 3. recipiendi habet facultatem, jure, et aere alieno praevie deductis. Urbar. p. 6. §. 1. vide articulum 62. 1715. Negotiis caducitatum in sede dominiali juxta citatum articulum assumendis, et ad sedriam comitatus referendis. Caducitatum, atque conscriptionis substantiae defunctorum divisionisque inter pupillos taxae sufferuntur. Urbar. p. 7. §. 1.

Quoad haereditates colonorum in banatu, urbarium banaticum cap. VI. haec habet. Nullo haerede praeexistente dominium habet jus successionis; prout supradictum. Circa pertractationem haereditatum mortuorum, prout et provisionem relictorum orphanorum dominio caeteroquin incumbentem sequentia in eodem banatico urbario praecipiuntur observanda.

a. Instantanee a morte subditi fiat accuratum et completum inventarium, debita praeexistentia solvantur, et substantia praeexistens pro utilitate haeredum elocetur.

b. Minorennibus successoribus, qui necdum in statu sunt, suam sessionem cum utilitate colendi, dentur tutores, qui pro ratione circumstantiarum penes commensuratam annuam mercedem oeconomiam administrabunt, si vero administratio oeconomiae non pro fructu minorennium esset, tunc dominium terrestre pro respectu adexpectandi majoris emolumenti vel eandem exarendet, vel pro indulto alioquin hic venditionis jure vendat, pecuniamque securo loco elocet.

ART. II.

De iis que relate ad orphanos subditorum de praxi observantur.

Cum cura et protectio orphanorum praecipuum obtineat in republica locum, eminens cujuslibet jurisdictionis, signanter vero dominalis obligatio esse debet, ut quo meliori, securiorique potest ratione, debite illis provideatur, hinc morte alicujus coloni interveniente, dominioque annunciatâ, idem tutorem denominet, ac ut tam orphanorum, quam et eorum substantiae debita cura geratur, omni ratione invigilet. Insinuato decessu inventatio remansae substantiae per commissionatum dominalem in concursu localis judicis, et notarii peragitur, tutor maxime qualificatus, et ab industriosa vitae ratione commendatus homo constituatur, eidemque fidedignum inventarium in copia (originali penes dominium conservato) consignetur, ne autem provisionem hanc dominio terrestrali in forma legalis obligationis incumbentem intermitti contingat, ad comitatus officii stri-

cti partes omnino spectat, ut concernens dominium in respectu legalis orphanorum provisionis, huc intellecta etiam exigendi a tutore ratiocinii censura ad explendam obligationem suam stringatur. Tutelati de substantia sua absque tutoris consensu disponere nequeant, usque quo perfectam attigerint aetatem, aut inito ante perfectam aetatem matrimonio oeconomiam propriam adire potuerint, quo in casu obtenta aetatis venia ulteriorem tutelam circa tales cessare, et substantiae praevia tutoralis ratiocinii conclusione extradationem ordinari debere in aperto est.

ART. III.

De testandi colonorum facultate.

Quamvis ductu tituli 30. p. 3. colonus praeter laboris mercedem in terris domini sui terrestris, quantum ad perpetuitatem, aut jus proprietatis, cum plena desuper disponendi facultate nihil juris habeat, ac, consequenter omnes fundos immobiles eminenti, ut dicitur, jure dominali possideat, suapte sequatur, absolutam, et irrestrictam cum pleno dominio proprietatem rusticorum ultra mobilia, usum-fructum, et mercedem laboris extendi generatim haud posse, tamen colonus de superaedificatis, et meliorationibus', si pro his materialia per ipsos parata pecunia comparata fuerint, prout et de mercede laboris, aut legitime investita summa valide disponere potest. In hoc spiritu prodivit b. resolutio regia anno 1770, 1. martii nro. 818. Similis vero eminens proprietas fundorum est dominiorum terrestralium — quae jam dudum, uti in introductione prae-

missum, fundo contributionali publico, cum jure dispositionis addicta extiterat.

Quaestio, num oppidani in defectu constituti liberam habeant testandi facultatem, aut tituli 30. part. 3. legali provisioni insistendum sit, cum objectum hoc jus successionis involvat, hoc autem urbariali instituto in via politica pertractari non possit, eatenus differentiam hanc in ordinaria juris via dirimendam esse. Ex actis ad nrum. 8930, 1806. 12. Septembris.

ART. IV.

De viduabus colonorum.

Viduae colonorum praescripto articuli 21. Ulad. decret. VII. semet conforment, adeoque si alteri nupserint, sine indultu dominii terrestralis e domo excedere nequeant; secus substantia earundem dominii arbitrio subjiciatur. Urbar. p. 8. §. 16.

SECTIO III.

De telonio in specie.

Telonii proventus dominii in salvo maneant; urbar p. 6. §. 6. subditi vias teloniales reparantes telonium non solvunt. Urbar. p. 3. §. 18.

Teloniale vectigal subditus in servitiis, et robottis dominalibus seu ad perficiendos labores suos rurales, aut ad molam pro commolendis frugibus suis eundo, domino terrestri solvere non tenetur, verum si in aliis negotiis per viam telonialem proficiscatur, vel parato aere vectigal teloniale solvere, vel proportionato ad reparationem ejusmodi

viarum gratuito labore concurrere obligatur, optione penes subditum eatenus relictâ. Urb. p. 3. §. 18. (Optio autem haec omnino superetur, et determinetur, superatumque ac determinatum testimonialibus super executione adpromptandis circumstantialiter inseratur. Instr. exeq. mag. cap. 5. §. 14.).

Praestabilito principio illo, quod colonus duntaxat illo tempore, dum extra casum oeconomiae suae, aut laboris dominalis per viam telonialem proficiscitur, ad pendendum vectigal obligetur, aequitati minus cohaerere, ut universum onus reparandae, aut conservandae totius viae teloniales uni imponatur communitati, praemisso eo, quod pro casu illo, quo communitas reparationis viarum, et pontium telonialium obligationem in se assumeret, scriptus sensu normalium ordinationum quoad reparationis et conservationis obligationem ineundus, subin publico referendus contractus praerequiratur, hinc communitates ad ineundam eatenus conventionem ea ratione inviandas esse; ut habita solum beneficiorum illorum, quae in dominium telonio provisum ex pendendo per colonos, dum extra citatum casum proficiscuntur, reflexione, proportionata reparandarum, conservandarumque viarum et pontium telonialium quantitas ad rationem communitatis defigatur, et instrumentum mutuo utriusque partis consensu conficiendum altiori ratificationi submittatur, dispositione circa concursum ad reparationem pontium et viarum teloniatarum praestandum ad provisionem publici recidente.

SECTIO IV.

De epocillatione.

ART. I.

De epocillatione vini colonis competente.

Epocillatio vini juxta articulum 36. 1550. a festo S. Michaelis usque Georgii, ubi promontoria sunt, ubi vero nulla idmodi promontoria dantur, a festo S. Michaelis solum usque festum nativitatis domini subditis libera est. Urbar. p. 2. §. 1.

Respectu hujus puncti in instructione exeq. mag. cap. V. p. 30. statutum est, quod sive exiguum, sive amplum sit promontorium, educillatio vini usque festum S. Georgii competat, hoc unum, aliud vero, quod licitum sit subditis pro tempore urbarialiter sibi concesso vinum ubicunque comparatum educillare, et quidem seu in domo pro constanti educillo destinata, seu in alia domo rusticana, illo hic observando, quod incolis in omnibus locis seu magnam seu parvam communitatem rusticanam efficientibus legale vini educillum admitti debeat.

ART. II.

De epocillatione promontorialistis in vineis dispersim degentibus generaliter admissa.

Promontorialistis dispersim in vineis degentibus, jus educilli extra usitatum etiam et alibi concessum subditis tempus, ea tamen cum restrictione exercere admittatur, ut pro iis duntaxat, qui in eorum vineis, operas praestant, tempore solum culturae vinearum vina educillare liberum sit. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 30.

ART. III.

De educillatione montanistis concessa.

Pro montanistis vero communitates constituentibus, velut in plano constitutis robottariis conformiter ad normam regulativam beneficia educilli — lignationis, et pascui, ac alia ex h. resolutione reg. competentia in saluo maneant, adeoque per omnia ita, siculi in plano constituti urbarialiter regulentur. Ibidem. Cap. V. §. 30.

ART. IV.

De educillatione in praediis qualiter stabilita.

In locis illis, ubi vineae in praediis libero domini terrestris arbitrio subjectis situantur, a festo S. Michaelis usque nativitatis domini, penes vineas vero in praediis impopulatis, conscriptis, subsistentiae contribuentium adjectis, et connumerationem portarum ingressis, situatas usque festum Georgii educillatio vini colonis competit, cum haec posteriora praedia juxta praemissas rationes cum ipsis sessionalibus terris pro uno eodemque terreno reputanda sint, neque ea solum, in quibus coloni domus suas erexerunt, sed illa quoque, quae iisdem pro necessaria sui subsistentia ad excolendum adjecta sunt, pro impopulatis praediis haberi debeant; praeterea loca, quae in praedio ad eundem dominum terrestrem spectante, nullas ceteroquin sessionales terras, ast praecise solum promontorium vinearum habent, et adusque medii anni educillo gaudebant, quemadmodum vel ex hoc etiam in parte illa, praedium adjectum et incorporatum fuisse censeri debet, ita etiam

per urbarialem regulationem in usu medii educilli constabiliantur. Instr. exeq. mag. cap. 2. §. 3.

ART. V.

De jure educilli dominio competente, velut jure regali.

Educillatio vini, quamvis subditis ad certum tempus competat, in dominali tamen diversorio pro receptione, et accomodatione peregrinantium qualificato, aut expost erigendo, cujusuis potus epocillatio per totum annum salva manet; ita etiam omnis cremati et cerevisiae educillatio; ac ejusmodi liquorum praeparatio praecise ad jura dominalia pertinet. Urbar. p. 6. §. 4.

Patriae vero legibus, quantum jus hoc dominia terrestralia respicit — sequentia constituuntur.

Anno 1550. art. 36. §. 2. Modus educillandi vina is est constitutus, ut in quorum nobilium bonis promontoria vinearum non sunt, coguntur-que coloni adventitia et externa vina bibere, liberum sit colonis a festo S. Michaelis usque ad festum nativitatis domini vina educillare; et tandem dominis toto anno, justo pretio, justaque et consveta loci mensura (posoniensi).

§. 3. Tantummodo ne per urnas, vel amphoras in singulas colonorum domos vina imponant, ac distribuant, pretiumque vini hoc modo distributi vi exigant ab his etiam, qui vino libentius carerent.

§. 4. Illis vero locis, in quibus promontoria sunt vinearum, habentque coloni vina sua ex

promontorio eodem provenientia, conclusum est: ut a festo S. Michaelis usque ad festum S. Georgii coloni sua vina hujusmodi possint educillare, reliquo vero tempore dominis in bonis suis, continua vinorum educillatio sit libera; modo superius descripto, et non aliter.

§. 5. Quod si infra dicta festa S. Michaelis et Georgii, vina illius promontorii colonis deficerent, dominus ejus loci (non alius quispiam) possit medio hoc quoque tempore educillare modo supra dicto.

In urbario autem statuitur p. 7. §. 15. Epocillatio corrupti cujuscunque generis potus subditis non imponatur.

Porro p. 6. §. 5. colonus potum dominalem epocillans ab hebdomadalibus servitutibus liber est tamdiu quamdiu epocillat, a singula autem urna epocillati potus eidem 4 denariorum merces per dominium dependatur.

Puncto autem ejusdem urbarii 8. §. 13. Epocillatio cujuscunque potus sub tempus educilli dominalis subditis sub contrabanda, et poena triduani laboris manualis interdicitur, in locis tamen promontoria habentibus, subditis propriae in territorio dominali procreationis vinum etiam intra praedictum tempus pro domestica necessitate inducere, et illud bibere liberum est.

ART. VI.

De educillationis vinorum modo.

Educillatio vinorum (juxta art. 35. 1598) juxta domorum seriem fieri, et continuari debebit, uti

quidem istud anno etiam 1559. art. 51 insinuatum est, observatis solitis temporibus.

Si quae tamen curiae nobilitares sint, quae ab antiquo super hujusmodi educillatione privilegiis dotatae sunt; illae penes usum suorum privilegiorum permaneant. Anno 1655. art. 31. §. 3 statutum, ubi vero hactenus intra defixos terminos, rustici in usu educilli non fuissent, talibus nec imposterum liberum sit educillum.

ART. VII.

De jure epocillationis subditis admissae in arendam elocando.

B. Resolutio regia ad num. $\frac{1376}{28528}$ 1785.

Suam Majestatem sacratissimam b. admisisse, ut educillatio talismodi per legem communitatibus admissa, ubique in cameralibus bonis per licitationem plus offerenti in arendam elocetur, et ejusmodi arendalis census in commodum totius communitatis convertatur, hancque b. resolutionem reg. ad aliorum etiam dominiorum subditos generaliter ea ratione extendendam esse, ut ad evitandas quasuis emergibiles animorum dissensiones ejusmodi educillorum rusticanorum exarendationes in praesentia magistratualium instituantur; incolis de utilitate talis exarendationis praevie capacitatis.

ART. VIII.

De promiscua colonorum epocillatione vini.

a. Benigna resolutio regia ad nrum. aul 2410. 1787. sub Josepho 2. emanata, addicit colonis epo-

cillationem vinorum propriae procreationis per totum annum tam all ingrosso, quam alla minuta. Nro. aul. 2072. 1787. et nro. 13421. 1786. aul.

b. B. Resolutione regia ad nrum. 2810, aul. 1787. ddo. 12. Martii relate ad libertatem promiscuae epocillationis colonis concessam praecipiuntur quaepiam modificanda, et quidem 1°. quod colonis, quibus facultas alla minuta conceditur, tantummodo distractio vini trans plateam (der Verschleiß über die Gasse) nullatenus autem jus formalis educilli, aut diversorii in suis domibus servandi competat. 2°. quod distractio haec alla minuta ad totum quantum vini producti, seu in territorio, ubi colonus habitat, seu extra illud per eundem vindemiatum est, extendatur. 3° Relate ad epocillationem, quae communitatibus et subditis vini cultura semet haud occupantibus, juxta praescriptum urbarii competit, usus urbarialis porro etiam observandus est.

Status et ordines regni anno 1791. quoad attributam rusticis promiscuam educillandi facultatem suae Majestati sacratissimae fecerunt repraesentationem, cujus essentia eo redit.

Postquam clarae, et positivae regni leges signanter articulus 36. 1555. — 12. 1553. — 31. 1655. jam eatenus regulam defixerunt, imo citatus articulus 31. 1655. poenam quoque contra rusticos extra tempus lege admissum educilla usurpantes constituit, certum praeterea esset, agi hic de cardinali jure terrestrali, imo speciali regali dominorum, in quo citra evidens praerogativae, et proprietatis praejudicium, nec restringi, nec da-

mnificari possent, sed et si haec non obstarent, posteaquam nihilominus experientia compertum est, plurimis in locis rusticos facultate hac educillandi velut sibi damnosa, hucdum uti nec voluisse, in multis locis propter damnosas vel exigui temporis sequelas sponte ab ea recessisse, quae autem loca in usurpatione hujusmodi educilli perstiterunt, cum notabili sui enervatione magis, magisque in facultatibus et ferendis publicis oneribus deficere; suapte consequitur eosdem a beneficio hoc, quod alioquin nec universale effici, nec cum bono effectu per eosdem (concurrentiam dominii haud sustentaturos) exerceri potest, malis vero plurimis eosdem enervantibus, et a procurandis aliis utilioribus subsistentiae, contributionisque mediis, ipsaque cultura fundorum avocantibus, occasionem praebet, ex ratione etiam conservationis eorum, potius removendos venire. Nro. aul. $\frac{982}{983}$ 1791.

Relate ad concessam colonis educillandi facultatem, juxta emanatam eatenus resolutionem regiam, status modernus retineatur, adeoque ubi nunc ea educillandi libertas existit, cum iis usque futura comitia mutatio neutiquam suscipiatur, atque in statu, quem ferenda eatenus lex deprehenderit, conservetur. Nro. aul. 1005. 3835, 1791.

ART. IX.

De numero domorum educillarium..

De numero domorum educillarium nulla existit generalis resolutio, verum de praxi numerus iste rationi majoris, aut minoris impopulationis, ut

beneficium hoc et commoditati incolarum, et scopo obtinendi pro communitate justi proventus respondeat, attemperari solet. Sic e. g. communitas Mehal in comitatu temessiensi habet 4. educilla anno 1810. in 1800 fl. in arendam locata, designatione localitatis quaestionatorum 4. educillorum, habita tamen publicae securitatis ratione, intra ambitum intravillani fienda, ab arbitrio ipsius communitatis dependente. Sic in oppido Békes tria pro communitate educilla sunt defixa. etc. etc.

ART. X.

De provisione relate ad epocillationem vini in Banatu.

Quoad epocillationem vini colonis admissam eadem est etiam in banaticis comitatibus provisio juxta urbarium banaticum cap. II. §. 1. eo tamen addito, provisionem articuli 36. 1550. relate ad epocillationem unice de talibus communitatibus intelligi, quae proprias vineas habent, neque ad talia loca extendi potest, que paucos vitibus implantatos hortos, et non proprie promontoria, aut colles vitiferos habent, ac proinde vineae hae, quae non ad ordinaria promontoria, sed tantum ad extrasessionales fundos pertinent, ad evitandos errores debite conscribantur. Tales horti vitibus implantati conformiter ceteris fructiferis hortis considerentur, ab illis proinde nulla decima, sed unice industrialis praestatio prout a ceteris hortis, dominio dependitur.

Colono est licitum non tantum suum in alterius terreno procreatum vinum fine conservationis ad suum domicilium, vel pro proprio usu in-

vehere, sed una etiam potest illud omni tempore etiam eo, dum epocillatio superioritati competit, vasatim vendere, ad evitandos tamen abusus debet quantitatem vini ex extraneo territorio inducendi semper dominio insinuare. Ibid.

SECTIO V.

De ceteris juribus dominalibus ex urbariali visus puncto.

ART. I.

De emacillatione.

Emacillatio carnium, tanquam juris dominalis colonis est interdicta. Urbar. p. 6. §. 6. proinde macelli proventus dominio in salvo manent.

Emacillatio, uti et inductio carnium sub contrabanda, et poena 3 dierum manualis operae colonis est vetita. Urbar. p. 8. §. 15.

Emacillatio elustratorum pecorum communitatibus macella exarendantibus non imponatur. P. 7. §. 14.

Carnes pro nuptiis et encaeniis subditis aliunde adferre prohibitum est; dominia enim carnibus subditos, ac publicum providendi obligationem habent, haec vero ad eandem ita reflectenda, ut vel huic debite respondeant, vel liberam carnium emacillationem subditis non impediant.

Quaestio — an communitas aliqua contra dominium terrestrale, ad refundendum damnum ob neglectam ex parte dominii macelli provisionem, e. g. occasione militiae in possessionem adventantis colonis emergens, actore fisco magistratuali viâ urbariali procedere possit?

Quaestionem, an dominium terrestrale immediatam, et strictam in obversum legis macellum carne providendi obligationem habeat, alii affirmative, alii negative statuunt decidendam, eo addito, quod macellaris provisio dominio terrestrali velut juribus dominalibus et publicae administrationi quid adversum imponi nequeat. Qualitercunque se res habeat, merito similis processus quaestionem de quomodo exercendo jure beneficii regalis praeseferente, adeoque sphaeram urbarialem non tangente, in quantum remonstraretur, damnificatam communitatem ad exercendum in casu tali jus emacillationis quaqua ratione adactam fuisse (cum ex parte publici occasione tali necessaria eatenus qualiscunque fieri debeat dispositio), instituto urbariali haud subsistente, fine obtinendae indemnitatis ad suam competentiam inviandam esse.

ART. II.

De venatione, piscatione, aucupio, telonio, et nundinis.

Venatio omnis generis, aucupium, et piscatio juxta articulum 18. Ulad. decret V. et 22. 1729. praecise ad jura dominalia spectant, adeoque subditis strictissime inhibentur, urb. 6. §. 3.

Venaticos canes servare sub contrabanda, et 3. dierum manualis laboris poena subditis vetitum est. Urbar. p. 8. §. 12.

Proventus fori, nundinarum hebdomadalium et annuarum (nisi hi communitatibus medio privilegii collati esse comperiantur) macelli (ut jam dictum) item et telonii legaliter constituti, (de

quo cap. 2. sect. 3. actum est) velut jura dominalia, et respective privilegialia domino terrestri in saluo maneant. Urbar. p. 6. §. 6.

CAPUT III.

De exustione cremati, et ollis crematoriis.

SECTIO I.

De iis, quae catenus per b. urbarium sancita sunt.

1. Cremati, cerevisiae, et aliorum liquorum praeparatio et educillatio juris est dominalis. Urb. p. 6. §. 4.

2. Cremati corrupti aut vini etc. liquorum epocillatio nec vasatim, nec alla minuta colonis injungatur. Ibid. p. 7. §. 15.

3. Crematoria olla utens soluit annue dominio duos florenos p. 4. §. 7. — Ex his patet quod;

4. Taxa ab ahenis dominio competens non juxta constitutivum, verum eorum, qui usum ahenorum urendo realiter capiunt, numerum solvenda sit. (B. urbario nullam differentiam aut limitationem majoris aut minoris ollae admittente, relate ad censum subintelligendam).

SECTIO II.

De nonnullis practicis casibus relate ad ollas crematorias.

1. Cremati census in possessione Löriniczy, et Cserdy in comitatu Baranya ideo fuit elevatus,

quod fructus ab extraneis coemerint, et exusserint, ad nrum. locumtenential. 10610. 1812.

2. Simonytornyenses oppidani 1796. a petito ustionis cremati altioribus locis remoti sunt.

3. Ex processu urbariali possessionum Racz-kozár, Mekényes, Sasd, Hornyék etc. ad dominium Dombovár spectantium, et in usum praehabitorum ahenorum reponi supplicantium, anno 1808. contra dominium moto, et sedrialiter reviso patet, de usu generaliter in comitatu Baranya recepto, unicuique colonorum ex propriis racemis et fructibus in proprio aheno erga 2 fl. censum dominio pendendum, urendi crematum pro proprio usu jus adesse; proin sedria omnes colonos, sive ii ante introductionem urbarii in hoc usu fuerant, seu non, in usum ahenorum reponendos, eos autem, qui hoc jure non fruebantur, in usum ejusdem juris statuendos determinavit: citra tamen, ut dominium scopum in hunc ligna suppeditare teneatur. Quae sedrialis sententia per Consilium regium locumtenentiale cum eo adprobata est, ut cum b. instructio pro exeq. mag. sign. §. 30. diserte innueret, ne illud lignorum quantum, quod pro ollis quoque crematoriis hucusque subministratum fuit, a necessariis pro colonorum usu ac competentibus focalibus lignis defalcetur, illis improcessuatis colonis, qui quaestionato lignationis beneficio a tempore introducti urbarii utebantur, ultro quoque idmodi lignatio pro cremato per dominium praestari debeat, aliis favore hoc, nunquam usis, ad privatam conventionem eatenus cum dominio ineundam inviandis. Lottl. nro. 10610. 1812. 5. Mai.

SECTIO III.

De exercitio juris urendi crematum.

Quaestio, an exercitium juris urendi crematum dominio terrestrali ea cum plenitudine competat, ut idem cum exclusione colonorum exercere, elocare, vel ipsi etiam colono simpliciter denegare possit?

Illi qui pro usu ahenorum colonis relinquendo, aut iisdem admittendo sententiam tenent, sequentia adducunt argumenta:

1. Legibus patriae nullibi jus urendi crematum inter jura regalia refertur, sed duntaxat h. urbario juris dominalis esse dicitur, aliudque est jus educilli exercere, quod indubii juris regalis est, aliud autem jus urendi habere, erga deponendos domino terrestri 2 fl. a cacabo, quae ipsa obligatio dependendi taxam cacabi, jus dominale plene salvat.

2. In urbario p. 4. §. 7. constitutum est, quod subditus pro uno cacabo crematorio, si illo realiter utatur, suo dominio 2 fl. solvere debeat, puncto vero 6. §. 4. — quod praeparatio liquorum, uti cremati, et cerevisiae ad dominale jus pertineat. Quemadmodum autem prior §. non tantum id in favorem subditi importat, quod dominus majori taxa 2 fl. excedente subditum ob usum cacabi gravare nequeat, sed nec hanc praetendere possit, si realiter cacabo non utatur, ita ex alia parte idem tenor verborum paragraphi ex se jus exclusivum urendi domino etiam in illum casum, si subditus proprio suo lebete uti velit, expresse non tribuat, praesertim si subditus hoc jure

urendi semper usus sit, sed nec per id, quod p. 6. §. 4. dicatur, praeparationem liquorum ad jus dominale duntaxat spectare, jus privativum dominale laedatur, si subditus cacabo suo utatur, cum hoc ita realiter per depensionem 2 fl. dominio praestandam salvetur, prouti jus nonae legibus patriis domino attributae in locis, quibus nona in aequivalenti 4 fl. dependitur, plene salvum manet.

Qui autem contrariam fovent sententiam, haec adducunt argumenta.

1. B. resolutionem josephinam 1784. ematam sequentis tenoris:

Siquidem de peculiaribus ex lege, aut instituto urbariali colonis competentibus beneficiis puncto 2. urbarialis regulationis districtim et ex professo disponeretur, ibidemque ejusmodi beneficia colonis competentia seriatim recenserentur, nulla vero illic ollarum crematoriarum mentio fieret, puncto porro ejusdem urbarii 4. non amplius de eo, quaenam beneficia colonis praevia ratione competant, ageretur, sed duntaxat datiae et praestationes per colonos dominio praestandae definirentur, hincque ejusmodi puncti 4. §. 7. annuus ab olla crematoria 2 fl. census sub ea praecise conditione; si hac subditus realiter et effective usus fuerit, imponeretur, conditio porro haec nec ejusmodi ollarum usum colonis vi urbarii absolute competere praesupponeret, neque vero eundem a beneplacito dominii eximeret, quin potius dum puncto 5. jura et beneficia regalia dominio competentia enumerantur, id de praeparatione cremati uberius, disertisque verbis declaretur, quod

omnis cremati et cerevisiae educillatio, ac ejusmodi liquorum praeparatio praecise ad jura dominalia pertineat, eapropter ex praerecensitis rationibus, ac eo etiam accedente, quod relate ad Kiss et Németh Poruba possessiones comitatui lyptoviensi ingremiatas jam et antea, ac ab inducto urbario anno 1772. super eo in specie, quod ipsis crematorii cacabi adempti essent, diserte querulantes eodem ex fundamento, quod videlicet exustio cremati ad indubitata regalia beneficia solis dominiis competentia pertineant, adeoque usus cacaborum a beneplacito dominii dependeat, conformi ratione b. dispositum habetur, dominalia jura absoluta hoc in passu, sustentanda fore.

2. Quod alia b. josephinae resolutioni contraveniens, vel eam in uberiorem colonorum favorem explanans resolutio haud extet; sed et melior, faciliorque colonorum subsistentia amplioribus ad subsistendum, ut est terrarum cultura, res pecuaria et vecturae, compluribusque aliis oeconomiae ramis existentibus per id non sistatur, si colonus singulo anno racemos, et fructus suos proprios convenienti pretio vendat, eo ab eminentiori, quod ollis crematoriis utentes experientia teste racemos et fructus tempore vindemiarum de se solo ad emendum quaerere, et parata emere soleant.

Quid igitur circa jus urendi crematum est tenendum?

Quaestio de usu cacaborum, num et qualiter colonis seu competente, seu secus etiam vel re linquendo, vel interdicendo, inde ab introducto.

urbario saepius ac iterum pro diversitate occurrentium querimoniarum pertractata, et partim affirmative, aut negative, aut etiam cum aliquali modificatione decisa extitit, in particularibus videlicet casibus, hincinde, tum ideo, quod coloni promiscue cremati ustioni ex frugibus, aliisque speciebus ultra modum intenti, per id et reliquam industriam neglexerint, et sylvarum devastationem promoverint, per nimium cremati usum ad excessus, et alias immoralitatis sequelas proniores fuerint, et denique beneficium ustionis ultra etiam proprii tantum usus mensuram, et limites extenderint, taliterque continuis mulctationibus, et collisionibus ansam praebuerint, a beneficio ustionis cremati arceri debebant, simul et disponebatur, ut pro divendendis ollis crematoriis certus terminus colonis praefigatur, quo evoluto nemini colonorum alium cacabum procurare integrum sit; in aliis autem casibus, ubi querimonia seu de aucto cacaborum censu, seu de beneficio hoc antea semper usuato per dominium impedito ponebatur, et hac rite pervestigata compertum fuit, quod sufficiens seu adaugendi census, seu plane interventae inhibitionis fundamentum non adfuerit, coloni ad praeusuatum ustionis cremati beneficicium non modo reponi, sed et indemnisatio iisdem praestanda diponebatur, ut adeo hic suapte pateat, quaestionem hanc pro diversitate duntaxat subversantium circumstantiarum, neutiquam autem ex principio illo, quod beneficium ustionis cremati pro proprio etiam colonorum usu, ex propriis productis ad jura dominalia duntaxat

pertineat, universaliter decisam extitisse, quo praemisso quaestionem propositam normative eaque ratione, ut decisio pro certa et determinata regula universaliter observetur, decidi nequire, obstante eatenus tam hactenus observato diverso usu in b. resolutionibus fundato, quam et diversa ipsius urbarii interpretatione, per quod parte ex una colonis beneficium ustionis cremati erga 2 fl. taxam exerceri admittitur, parte vero ex alia praeparatio liquorum, ac in specie cremati etiam ad jura dominalia refertur, prior urbarii dispositio conditione illa, si videlicet colonus, usum cacabi faciat, affecta, simul et mensuram census regulans, absoluto dominali beneplacito contrariari videtur eo magis, quod objecta unice et exclusive ad jura sic dicta regalia spectantia nullam census restrictionem recipiant, sed libere conventioni, et dispositioni dominali plene relicta sint; altera urbarii provisio, praeparationem cremati ad jura dominalia referens beneplacito quidem dominali suffragari videtur, sed spectata priori colonis favente provisione, posterior haec juribus dominalibus reservata praeparatio, eo facile explanari potest, quod confectio cremati pro quaestu et epocillatione ad jura dominalia exclusive pertineat, atque adeo haec provisio consectarium anterioris dispositionis, ut nimirum colonus ex propriis fructibus aut racemis in proprio cacabo, et pro usu proprio sibi potum hunc conficere possit, neutiquam excludat. nro. aul. 8652. 1806.

Notandum. In omni casu, defigendis in rem principiis, et praescribendae regulae subser-

viebant hucadusque localia possessionum, vel status adjuncta, saepius in ea etiam extensione, in quantum calculus administrationis publicae, frequentius etiam respectus politiae cum generico urbariali systemate relate ad usum ollarum crematoriarum in collisionem haud venire comperiebantur. Acta officiosa perhibent, nonnullis possessionibus jam admissam, jam demptam fuisse, ob expositos respectus exurendi cremati facultatem, interventorum tamen omnium casuum summam eo recidere, quod in decisione similium quaestionum pro basi continuo reale emolumentum subditelae cum publico bono, et absoluta dispositionum necessitate combinetur, arbitriumque dominale, a quo quippe admissio exurendi in propriis colonorum ahenis cremati omnino dependere statuitur, cum dominiis terrestralibus localia adjuncta optime constent, huic spiritui inviolabiliter subjectum, ac subordinatum esse intelligatur, eo addito, in omnibus casibus arbitrium praetensum in spiritu b. urbarii eo tantum nefors extendi posse, dum spectatis localibus aut status circumstantiis de eo agitur, an colonis exustio cremati, ultra mensuram urbarialem, quae quippe propriam duntaxat colonorum necessitatem pro objecto habet, pro libera epocillatione, aut quaestu etiam exercendo admitti possit? in casibus autem ubi de exustione cremati in propriis colonorum ahenis, pro propria duntaxat eorum domestica necessitate quaestio surgit; provisionem urbarialem per b. resolutiones regias ita institutam haberi, quod a solo dominii terrestralis arbitrio minime

dependeat, ut coloni in usu exustionis cremati contra genuinum urbarii intellectum per dominia impediantur.

CAPUT IV.

De beneficiis urbarialibus subditelae addictis.

SECTIO I.

De lignatione.

ART. 1.

De lignatione aedili et focali.

1. Ligna aedilia erga assignationem dominii, et arborum designationem in territorio ejusdem loci subditis gratis conceduntur. Urb. p. 2. §, 5.

2. Ubi in territorio proprio propter exiguas sylvas lignum focale pro colonis non adesset sufficiens, etiam ex aliis dominalibus sylvis, attamen in justa proportione iisdem admittenda. Urbar. p. 2. §. 6.

3. Lignatio focalis, ubi silvae praeexistunt, e deciduis aridisque lignis, et in horum defectu etiam ex vivis arboribus, non tamen fructiferis ad propriam duntaxat necessitatem subditis licita. Urbar. p. 2. §. 4.

4. Lignatio focalis, et aedilis in propriis communitatum, aut colonorum sylvis pro usu suo retentis, absque ulla dominio pendenda praestatione ad propriam necessitatem libera est, et in hoc

casu dominium subditis in sylva sua dominali lignationem admittere non tenetur. Urbar. p. 2. § 8.

ART. II.

De regulatione sylvarum lignationi colonorum urbariali derogare nequeunte.

Circa ordinem sylvarum universis regni comitatibus per Consilium reg. locumt. transmissum, b. suae Majestatis sacratissimae mens eo directa est, ut juxta hanc quidem regulationem, quo sylvae conserventur, majoraque incrementa capiant, porro procedatur, eadem nihilominus cinosura urbariali praescripto, quo ligna tam focalia, quam aedilia colonis et inquilinis praestanda praecipiuntur, neutiquam derogetur, verum potius utrique huic regulationi, utpote si vexandi aut damnificandi studia absint, adinvicem compatibili plene omnino satisfiat, eo porro addito, quodsi ultra quoque in obversum urbarialis regulationis ex fundatis subditorum querimoniis vexandi et damnificandi studia detecta fuerint, contra hos et tales seu dominos terrestres, seu dominales officiales ingratiora adhibebuntur remedia, quorum ipsi soli, veluti salutarium dispositionum transgressores causam praebebant.

Ne vero seu ex timore, seu respectu hac in parte querimoniae hinc inde supprimantur, comitatus magistratui serio injunctum haberi, quatenus idem de munere sibi incumbente, ac notanter etiam ille, qui virtute ordinis sylvarum, earum manipulationem curandam habebit, pro omni tempore perquam sollicite vigilantiam adhibeat,

ut urbarialis regulatio reliqua inter etiam quoad praescriptam ibidem lignorum praestationem in suo vigore et robore conservetur, omnis in hoc genere exhibenda querimonia sollicite investigetur, et Consilio regio locumt. submittatur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 30.

ART. III.

De lignatione etiam inquilinis praestanda.

Cum facto nonnullorum facile evenire posset, ut praetextuose pro pauperibus illis, qui in regulatione sylvarum §. 46. commemorantur, inquilini, hos intelligi debere subsummant, hac vero ratione inquilinorum, qui magnam sane partem contribuentium efficiunt, sors nimium attenuaretur, hinc ad praecavendum hocce malum declarari, sub numero pauperum in regulatione sylvarum mendicos unice intelligi, inquilinis vero praestationem lignorum juxta praescriptum urbariale omnino competere. Ibid. cap. V. §. 30.

ART. IV.

De imputationibus in competentiam lignorum non admittendis.

Praecaveatur insuper, ne illud lignorum quantum, quod pro milite in quarteriis, pro reparatione viarum, pontium, casarmarum, aut domuum quarterialium, nec non pro ollis crematoriis aut pinsendo pane vendibili hucusque subministratum fuit, a necessariis pro subditorum usu ac competentibus focalibus lignis defalcetur. Ibid.

ART. V.

De mensura lignorum praestationis.

Circa praestationem lignorum urbarialium tam quoad latitudinem, quam quoad altitudinem orgia posoniensis sex pedum accurate observetur, sed neque in longitudine orgialium lignorum justa proportio excedatur. Ibid. cap. V. §. 22.

Competentia lignorum orgialium qualitati sessionis approportionanda tabellis urbarialibus inserenda; ibidem.

ART. VI.

De sectione et devectione lignorum pro parte dominii.

Lignorum focalium singulus integrae sessionis colonus 4. jumentis provisus ex ratione admissae sibi gratuitae aedilis et focalis lignationis, unam orgiam praevie per 2 manualistas consecandam ex sylvis per dominalem officialem designandis, ad curiam vel allodium dominale, aliumve locum intra territorium dominii destinandum devehere tenetur, et sic a proportione mediae, quartae, et octavalis sessionis coloni. Urbar. p. 3. §. 13.

Laborem tamen hunc unius diei jugali, et per duas personas manuali opera hyeme perficienda commutare dominio liberum est. Urbar. p. 3. §. 14.

Convectionem vero lignorum non recte ad festa natalitia summendam fore, verum ita intelligendam venire, ut circa illud tempus, nempe in hyeme, dum tempus caedendorum lignorum est, ante natalitia prius tantisper, aut posterius fiat. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

Circa quaestionem illam, cuinam orgia-

lium lignorum devectio, et cui sectio incumbat? sequens est clarificatio, quod nempe tenoribus urbarii conveniat, obligationem sectionis ab onere convectionis distinguendam venire, nec utramque unum eundemque titulo ipsi concessae lignationis manere, verum vecturam colonis sessionatis, sectionem vero manualistis (seu illi sint coloni pro hoc manuali labore applicandi, seu inquilini, aut etiam mercede conducendi, seu demum subditi et inquilini, ita ut eorum opera in robottam imputetur) diserte imponi. Nro. 8128. 21 febr. 1786.

Cum inquilini esto jugalibus provisi per urbarium, quoad usque constitutivum $\frac{1}{8}$ sessionis emensum non obtineant, pro manualistis habeantur, convectione lignorum eos gravari nequire, et si qui praestitissent, pro praeterito etiam illis indemnisatio procuretur.

ART. VII.

De excessu in desumptione operarum.

Cum desumptio operarum a colonis pro lignatione neutiquam praehabita, in conformitate instr. exeq. mag. ad inscriptiones urbariorum, ad L. Nro. 11. illicita, pro excessu stricte urbariali haberi debeat, harum incompetenter exactarum bonificatio colonis omnino competit. 1806. Nro. $\frac{10692}{18240.}$

ART. VIII.

De norma et tempore exassignationis lignorum.

Quoad normam et tempus exassignationis tam focalium quam et aedilium lignorum, statutum in

sede dominali conditum, sedriali revisioni, et decisioni substernendum est.

ART. IX.

De lignatione instrumentali.

Huius lignationis benignae urbariales instructiones nullam faciunt mentionem, lignatio tamen haec (id est suppeditatio necessariorum lignorum pro instrumentis oeconomicis) colonis praesertim in usu existentibus competit. Ita decisum in causa dominii Vihodna, et Arva in Comitatu Lypto ad nrum. loc. 1308, anno $\frac{1801}{1811}$ dd. 3. 7bris.

ART. X

De lignis ad parietes rusticanarum domuum an suppeditandis.

Vigore art. 21. anno 1807. dominia absolvuntur ab obligatione assignandorum colonis pro parietibus lignorum.

ART. XI.

De quantitate lignationis ejectanda.

Ex processu urbariali possessionis N. Barom dominii Léka principis Eszterhàzy in comitatu Sopron ad nrum. loc. 27824. 1811 et 1808. — aulic. 8570. 1811. agitato — quantum lignationem attinet, usui per sententias etiam judiciarias stabilito porro etiam inhaereri, ut singulo integrae sessionis colono 4. orgiae lignorum dependantur, lignatione aedili ideo ipsis non competente, quia in N. Barom indulgente dominio, libera emptione et venditione domorum vigente, dominium ad id, ut gratis ligna aedilia eis suppeditet, obligari non posse — Con-

silium locumt. decidit, ut dominium eatenus praescripto urbarii se accommodet, et colonis de necessaria utriusque speciei lignatione, observato sylvarum ordine, prospicere teneatur, per Cancellariam R. aulicam, siquidem penes contractus antea tractati fuerint coloni, in reliquo etiam dominium ad tractamentum contractuale inviari dispositum est. 18. octobris 1811.

Quoad beneficium lignationis subditis in quali quantitate concedendum? E claris urbarii cap. 2. §. 4. et 6. tenoribus patere, quod dominia terrestralia subditis lignationem, ubi sylvae sunt, admittere teneantur, quin quantitas determinata sit, et sic nullam aliam juxta orgias subditis ligna suppeditandi cinosuram, praeter usum in regulatis dominiis, ubi sylvae in regulares tonsuras subdivisae sunt, nefors vigentem, seu in urbario seu per b. resolutiones regias defixam esse. Injurias colonorum aut dominiorum terrestralium in depensione lignationis via urbariali quaerendas et complanandas esse. Nro locumt. 24908. 1813. 12. octobris.

SECTIO II.

De arundinatione.

Beneficium arundinationis est regale, quod colonos non respicit, neque assumitur pro constitutivo urbariali. — Si in quopiam loco in vicem lignationis colonis gratuitus arundineti usus admissus est, singulus integrae sessionis colonus in locum unius orgiae lignorum urbarialium 40 manipulos arundinis demetere et invehere obligatur,

et sic a proportione, mediae, quartae, et octavalis sessionis coloni. Instr. exeq. mag. cap. 5. §. 16. quoad inscriptiones urbariorum sub L. nro. 11. Ubi autem ex defectu sylvarum coloni lignatione, et arundineti usu destituuntur, nec lignum urbariale, nec arundinem dominio praestare obligantur. Ibid.

SECTIO III.

De glandinatione, et gallarum collectione.

ART. 1.

De glandinatione juxta urbarium hungaricum.

Glandinatio subditis in territorio incolatus 6. xris minori, ac extranei solvunt, pretio admittatur, in praedialibus vero sylvis beneficio hoc erga censum cum dominio pactandum fruentur. Urbar. p. 2. §. 7. Glandinatio, et gallarum collectio, prout et lignationis focalis et aedilis usus in propriis communitatum, vel singillativis sessionibus adrepartitis sylvis, pro usu suo per possessiones retentis, absque ulla dominio pendenda praestatione, ad propriam necessitatem libera est, e converso dominium in tali casu glandinationem subditis in sylva sua dominali admittere non tenetur, nisi in communitatis, vel colonorum sylvis nullae penitus glandes procrearentur, eotum autem dominus terrestris ad rationem subditorum glandinationem praeferenter, eo quo extraneis pretio, admittet. Urbar. p. 2. §. 8.

ART. II.

De glandinatione in banaticis comitatibus.

Cap. 3. §. 2. Taxa glandinationis pro majori setigero in 6 xr. pro minori in 3 xr. defixa, glandinatio ex parte dominii, quod sylvas glandiferas habet, propriis colonis conceditur, qui favores tamen ad colonos aliorum dominiorum, aut illos, qui in suis territoriis proprias glandinaceas sylvas habent, haud extenduntur.

Numerus sabellicorum pro glandinatione ita defigatur, ut haec adminus pro 3. mensibus evidenter sufficiat, si plures sabellici assumantur, ita ut glandinatio 3. mensibus durare non possit, damnum inde colonis emergens resarciendum est. Glandinatione in propriis communitatum sylvis colonis unice admissa, iisdem etiam unice gallarum in his privativis sylvis collectio gratis concessa est. Ibid.

ART. III.

De gallarum collectione.

Relate ad proprias colonorum sylvas res priori articulo absoluta est.

Gallarum collectio unice ad dominium pertinet, et sub contrabanda, ac 3. dierum manuali labore subditis est prohibita, dominio attamen non licet subditos ad colligendas extra robottam gallas adstringere. Urbar. p. 8. §. 11. p. 2. §. 8.

Anno 1773. die 17. mai nro. 2253. circulariter dispositum est, ut vindicatio quidem talismodi casuum, ubi extraneus subditus in gallarum collectione apprehendi potest, porro quoque in sua

ordinaria, legalis quippe provisionis via relinquatur, ut tamen subditi praeter confiscationem apud tales reperibilium gallarum, gravi atque in ruinam vergente pecuniaria mulcta plectantur, occasione annuae urbarialis investigationis etiam eam quaestionem, et investigationem fieri jussit sua Majestas sacratissima, an et qui in pecuniis, et quali quantitate mulctati sint? ea vero quae idcirco deprehensa fuerint, sub eadem investigatione speciali rubrica, penes serialem latae poenalitatis expressionem, toties quoties adscribantur, et annotentur.

SECTIO IV.

De quaestu naturae productorum et manufactorum rusticis admisso.

1. Quaestus naturalium subditis liber est, praeemptione penes dominium stante; urbar. p. 7. §. 3.

2 Quaestus, et naturalium exarendationes cum exclusione, aut restrictione subditorum non fiant. Ibid. p. 7. 4. monopoliis lege prohibitis.

3. Emptio et venditio tabacae, melis, cerae, butiri, lini, canabum, aliorumque naturalium cuicunque et a quocunque voluerint, subditis libera est, et per dominos terrestres nullatenus turbentur, multo minus contrabanda, vel aliis mulctis pecuniariis, sive vero in corpore ob venditas res sudore et industria quaesitas puniantur, salva pro dominio ad sensum art. 75. 1723. praeemptione, haec autem deposito instantanee libere

convento pretio, ad solam dominii necessitatem intellecta, et justo rerum pondere, et mensura observatis, ea ratione admittitur, ne per hanc extranei, emptionis causa ad territorium venientes seu facto seu mandato arceantur, multo minus subditi res suas venales alio devehere prohibeantur, aut tales iisdem detineantur, prout neque ad vendendum domino suo, si nolint adstringantur. Urbar. p 7. §. 3.

4. Urbariali instructione pro comissariis regiis §. 36. in quantum reflexe ad urbarialis puncti 7. §. 3. quaestio de emptione et venditione rerum oriretur, comissarii regii eo rem dirigent, comitatusque inviabunt, ut omnino emptio et venditio, seu quaestus rerum cum universis productis et manufactis rusticanis ad rationem colonorum liber et imperturbatus relinquatur, e converso autem ad alias nulla ratione rusticanas, sed mercantiles species non extendatur.

5. De quaestu lignorum: si quispiam locus tantis communibus, aut juxta sessiones excisis sylvis provisus est, ut subditi absque harum devastatione hactenus semper lignorum quaestum exercuerint, talique quaestu sine subsistentiae suae praejudicio carere haud possint, eodemque quaestu iidem subditi ultra quoque uti desiderarent, et instarent, istiusmodi emersuri casus semper praevie pro impertienda desuper b. resolutione regia medio comitatus repraesententur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 30. ubi una domini terrestres, eorundemque officiales inhibentur, ne subditos cum dispendio contributionis, a quaestu lignorum ubi

ubi libere emendorum, quaqua ratione arcere praesummant.

6. De monopoliis, sicuti positivis legibus monopolia vetita sunt, ita nec arendationes rerum, et naturalium ad quaestum pertinentium cum exclusione aut restrictione subditorum fiant. Urbar. p. 7. §. 4.

SECTIO V.

De beneficiis unice in emolumentum subditelae urbarialiter addictis.

1. Bahnweingeld sic dicta solutio, velut abusiva penitus suffertur. Urbar. p. 7. §. 6.

2. Fimum suum non tenentur coloni dominio dare, dominalem autem nonnisi cum imputatione ad robottam obligantur ad locum per dominium designatum devehere. Ibid. § 7.

3. Stramen proprium coloni non tenentur dare ad vites dominales ligandas. Ibid. §. 5.

4. Taxarum exactio a literis gueralibus antea desummi solitarum penitus sublata est.

Cum enim hujusmodi taxae tanquam in enervationem contribuentium vergentes systemati urbariali, et altissimis ordinationibus regiis vetitae habeantur, ceteroquin autem dominia terrestralia subditis suis, in actuali fundorum et tenutorum suorum possessorio existentibus, de securitate, necessariisque idcirco literis gratis providere debeant, ideo praeattactae taxae desumptionem locum habere nequire. Nro. 2498. 2567. 1783. mense majo.

5. Hajdonum et venatorum dominalium

quaevis exactiones penitus abrogantur. Urbar. p. 7. §. 11.

6. Huszarengeld dictus census pariter suffertur. Ibid. §. 13. prout et

7. Intertentio executorum dominalium. Ibidem.

8. Merces custodibus vinearum dominalium et revisoribus laborum hactenus per subditos soluta abrogatur. Ibid. §. 10.

9. Naturalium et pecuniariae collectiones sub poena 24. baculorum inter subditos sunt interdictae ; urbar. p. 8. §. 9. —Porro naturalia et victualia ad emendum vel vendendum subditis non obtrudantur. Urbar. p. 7. §. 15.

Naturalium praestationes in urbario non contentae abrogantur. Urbar. p. 7. §. 18.

10. Onerum quarterialium praestatio abrogatur. §. 13.

11. Pecuniae a subditis titulo securitatis de non profugiendo haud exigantur, ac nefors jam exactae una cum interusurio restituantur. §. 12.

12. Pennaticum (Hühnergeld) tam hujus, quam et taxae messorialis (Sichelgeld) nec non schaedalis et torcularis pecuniae Preßgeld dictae, item et gustatoriae pintae (Koſtmaß) exactio suffertur. Urbar. p. 7. §. 16.

13. Lege articulo utpote 40. Ulad. Decr. 2. 1495. sigillares pecuniae a venditis vinis hinc et inde pro sigillis certis, a venditoribus per duos aut 12 denarios extortae penitus abrogantur.

14. Plumarum decimatio dominio vetita urbar. 7. §. 8.

15. Cum domino terrestri velut orphanorum protectori cura substantiae pupillaris incumbat, sic taxae successionalium, inventationis, legatorum, et divisionalium abrogantur. Urbar. p. 7. §. 1. Sic etiam dicta laudemia et taxa literarum gueralium, non secus desumptio decimalitatis pretii rerum testamento legatarum, cambiatarum, aut venditarum abrogantur. Urbar. p. 7. §. 2.

16. Incompedationis taxa, ubi ea in usu fuit, non plus quam 15 xr. facit; urbar. p. 8. §. 5. Haec tamen taxa sublata est 1771. b. mandato die 15. mai nro. 2189. circulariter publicato nro. 2980.

17. Vasa vacua subditi extra robottam vehere non tenentur. Urbar. p. 7. §. 15. Item in collectione vini nonalis aut decimalis, jurisque montani ad suppeditanda vasa propria non adstringantur. Ibid. §. 17.

18. Vecturae aliae praeter in urbario declaratas, extra robottam non praestandae. Urbar. p. 3. §. 15.

19. Vicesimalitatis desumptio. Cum omnem contribuentium enervationem antevertere intersit, a pecunia pro ademptis fundis ad manus judiciarias deposita vicesimalitatis desumptio alias quidem legalis, in casu tamen, ubi de contribuente plebe agitur, locum habere haud potest, lexque eandem vicesimalitatem admittens unice eum casum, ubi negotium inter nobiles vertitur, pro objecto habet, adeoque ad hunc, ubi res inter subditum, et dominum terrestrem agitur, extendi nequit. 1785. nro. 11798. 22. septembris.

20. In Banatu juxta urbar. cap. VI. Ubi com-

munitates jus habent minores excessus puniendi, vel mulcta pecuniaria, vel poena corporali, dominio incumbit, ne taxarum desumptio sit excessiva, has proinde determinet, et comitatui pro ratificatione substernat.

Cum administratio justitiae colonis praestanda dominio incumbat, omnes taxae pro indorsatis, substantiarum pertractatione, investigationibus etc. sunt illicitae, taxa carceralis (Schließgeld) fuit 15 xr.

CAPUT V.

De nonae praestatione.

SECTIO I.

De systemate urbariali praestationis nonae generatim.

ART. 1.

De articulis, ex quibus nona praestanda est.

Ex omnibus terrae nascentiis nona in natura praestatur (exceptis hortensibus intravillanis, adeoque nonae praestationi subjici nequeuntibus) apibus item, agnellis, et haedis eodem anno ejectis, peraeque praestatur nona, in pecunia non exigenda neque ad alias species extendenda, ubi autem apes, agnelli, et haedi nonum numerum non adaequant, a singulo agnello 4 xr. haedo 3 xr. — apum alveari 6 xr. dominio dependantur.

Urbar. p. 5. §. 1. In instr. exeq. mag. cap. 3. §. 1. commendat, ut rustici ad nonam in natura praeeligendam, remota tamen vi, aut necessitatis expositione persvadeantur, item cap. V. §. 5.

Nonam ex uvis passis haud competere decisum est per altissimam resolutionem regiam in processu urbariali fisci dominalis contra incolas oppidorum Tokaj, et Tarczal via novi agitato, nro. aul. 13447. 1815.

ART. II.

De tempore praestationis nonae.

Nonatio agnellorum, haedorum, et apum ex praescripto articuli 96. 1647. ultra festum S. Joannis bapt. non differatur; nisi intemperies aeris obstet, frugum nona usque festum S. Stephani desumatur, quod si vero hoc ex incidenti, aut propter immaturas fruges messis ad praeattactum terminum peragi nequiret, tali in casu comitatus tempus, intra quod nona et decima desumatur, definiet, et nisi intra illud tempus exacta fuerit, subditis fruges suas nona in campo relicta abvehere liberum erit. Urbar. p. 5. §. 2.

ART. III.

De resultato examinis subditorum ad 9 puncta interrogatoria, signanter quoad nonam.

Si responderint coloni in hoc vel illo loco, quod respectu loci sui nona in natura hactenus praestita non fuerit, pro tunc clare et diserte interrogentur coloni, quid ergo ex terris arabilibus postfundualibus praestiterint? et si responderint, quod seu sub titulo nonae, seu sine hoc titulo,

seu quid et quantum in grano, vel stramine, aut pecuniaria solutione, aut etiam nefors aliis naturalibus praestiterunt, totum id clare, et diserte in fassionibus exprimatur, praeterea etiam illud, num praeter praeenarratas praestationes, vel etiam absque his in loco examinato decima titulo cleri in usu fuerit? aut forte haec loco nonae, vel vero qua talis hactenus praestita exliterit. Quo vero ad datiarum, et universarum reliquarum praestationum, donariorumque in puncto hoc commemoratorum omnes species, et tituli naturalium; et pecuniaria solutio, et depensio omnis, nulla prorsus absolute reticita et remansa clare ac individualiter exprimantur. Instr. exeq, mag. cap. I. §. 3.

ART. IV.

De optione aequivalentis in praestatione nonae, vel in natura colonis admissa.

Occasione introductae urbarialis regulationis ubi compertum fuerit, nonae praestationem in natura hactenus in usu fuisse, in illis locis subditi eandem nonam expost etiam domino terrestri praestandam habebunt — ubi autem nonae praestatio in usu non erat, ibi in singula possessione et loco rusticorum optioni deferatur, num nempe nonam in natura, vel aequivalenti posthac dependere velint. Ibid. cap. III. §. 2. cap. V. §. 5.

ART. V.

De designatione aequivalentis ex parte dominii.

Si coloni ad nonam in natura praestandam aequa cum moderatione disponi nequirent, verum

in aequivalente pendendam praeeligerent, ut circa ipsum aequivalens eligendum tam ipsa dominia quam et subditi usque tempus executionis mature deliberare possint, et hos ac illa exequentes magistratuales de iis, quae ad objectum et realitatem aequivalentis, huiusque sufficientem cognitionem deserviunt, omnimoda cum capacitatione edocebunt, casum in hunc pro aequivalenti statutum esse; ut quippe colonus integrae sessionis nonam in natura non praestans, huius loco vel 12 dierum bijugales, vel vero 24 dierum manuales labores non cumulative, sed intra totidem hebdomadas, quot dierum labores obtingent, singillative domino praestare, vel denique annue quatuor florenos in redemptionem nonae domino terrestri solvere obligetur, ita tamen, ut vicissim in libero domini terrestris arbitrio sit, num titulo aequivalentis pro nona labores bijugales, sive manuales, aut paratum aes in florenis 4. emensum a rusticis suis exigere, et desumere velit? Instr. exeq. mag. cap. 3. §. 2. — cap. V. §. 5.

Si neutra partium aequivalens denominare vellet, in ejusmodi casibus specialibus per exequentes judices species determinati aequivalentis habita dominalis oeconomiae, et conservationis contribuentis plebis ratione denominetur. Cap. V. §. 5.

ART. VI.

Variantibus in optione colonorum declarationibus, potioritati insistendum est.

In casibus illis, si in hoc vel illo loco pars quidem rusticorum alia pro nona in natura, alia vero pars pro nona in aequivalenti semet declara-

ret, iudices in determinanda hac diversitate potiorum declarantium partem habeant pro fundamento, adeoque potioritatis optioni deferant.

In casibus item illis, in quibus in uno eodemque loco plures sunt domini terrestres, uniusque subditi nonam in natura, alterius in aequivalenti praeeligerent, aeque uti superius juxta calculum potioritatis et quidem non ad hunc, vel illum dominum terrestrem, verum ad totum locum reflectendae, optio nonae est decidenda. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 8. et 9.

ART. VII.

Variantibus quod aequivalens dominorum compossessorum declarationibus, potioritati vel comitatus decisioni insistendum.

In casibus quoque illis, in quibus peraeque in uno eodemque loco hic vel ille dominus terrestris aequivalentis speciem in pecunia, alter vero in robottis praeeligeret, juxta illorum dominorum terrestrium optionem aequivalentis species decidatur, qui plures habent in tali loco subditos, si tamen aequali numero subditos possiderent, judices exequentes habita conservationis contribuentis plebis ratione speciem aequivalentis decidant. Ibid. cap. V. §. 10.

ART. VIII.

Quid si subditi, alii nonam in natura, alii nullam solverunt?

In casibus demum illis, in quibus in uno eodemque loco subditi, alii nonam in natura, alii vero nullam hactenus nonam praestiterunt, eveniente eo, quod hi illos in numero superent, tunc

respectu totius loci optioni res substernenda, si vero illi hos in numero superent, respectu omnium nona in natura locum obtineat; eo tamen et hic observato, ut in priori casu modalitate jam superius attacta ad nonam in natura praeeligendam supra attacta ratione persvadeantur. Ibid. cap. V. §. 11.

ART. IX.

De *depensione pecuniaria a pomariis, lupuletis, et prunetis titulo nonae.*

B. admittit sua Majestas sacratissima, ut in locis, in quibus n o n a i n n a t u r a locum obtinebit, a singula pomarii, lupuleti, et pruneti in terris sessionalibus postfundalibus extravillanis consistentium in jugero duarum metretarum posoniensium capace, dominio 5. grossi praestentur, ab istiusmodi vero hortis, in quantum hi in terris extirpatitiis existunt, a singula unius jugeri capacitate grossi 10. dependantur, et sic a proportione mediae, et quartalis capacitatis jugeri, cum illa nihilominus observatione, ut a minori quantitate, cum exiguitas alioquin attentionem non mereatur, nihil prorsus exigatur. — Quia vero pro istiusmodi praestatione in tabella urbariali competens rubrica non daretur, eapropter exequentes magistratuales cum specifica connotatione, qui subditorum, ac quot jugera ex istiusmodi substratis usuent, quantumve ab his a proportione praescriptae b. resolutionis, horum singulus dependendum habeat, penes executionales exponant, et accurate exprimant. — In locis e contra illis, in quibus

nona in aequivalenti praestabitur, ab istiusmodi hortis titulo nonae peculiariter nihil praestabitur, siquidem calculum aequivalentis jam ingressi sint, sed neque ab istiusmodi hortis in pratis existentilus titulo nonae quidpiam praestabitur, cum in pratis nona locum non habeat. Ibid. cap. V. §. 12. ad p. 8.

ART. X.

De nona ex canabe, et lino in natura, vel loco huius filatura praestanda.

In locis illis, in quibus nona in natura locum habebit, optioni domini terrestris deferatur, num velit ex canabe et lino nonam in natura, vel vero loco huius filaturam in puncti urbar. 5. § 4. commemoratam praeeligere, qui si nonam praeelegerit, eidem praeter hanc, filatura imposterum non competet, adeoque in rubrica tabellae urbarialis per transversum ductis lineolis complebitur, inque rubrica pro nona deservienti exponatur per longum nona in natura incluso lino et canabe, si vero filaturam praeelegerit, haec juxta praescriptum urbarii a proportione capacitatis sessionum in rubrica filaturae exponatur, tunc autem in rubrica nonae ponetur nona in natura exclusis canabe et lino.

In locis vero illis, in quibus nona in aequivalenti locum obtinebit, cum in hoc aequivalenti jam etiam nona ex canabe et lino inclusa habeatur, adeoque praestantionem huius vel in pecunia vel robottis ingrediatur, filatura hic locum non habebit, adeoque tali etiam in casu

filaturae rubrica ducendis ubique per transversum lineolis absolvatur. Secus namque sub uno eodemque titulo canabes et linum contra omnem aequitatem dupplicem praestationem cum onere contribuentis plebis subire deberent. — Ceterum occursura quaestio illa, num ex canabibus primitialibus seu maternis sic dictis, vel vero posterius evelli solitis ac nomine spuriorum venientibus, vel vero ex utraque sorte et specie nona desumenda sit? determinandum erit a sorte et specie utraque, veluti utraque terrae nascentia, incluso etiam semine sub nonam cadente. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 13.

B. resolutione regia die 18. Aug. 1768 singula filaturae libra in 9 xr. seu 6 librae, quot ab una sessione obveniunt, in 54 xr. per colonum redimi ordinantur.

Jam b. urbariali provisione p. 5. §. 4. dispositum est, ut nona ex canabe et lino praestetur, aut in locum huius 6 librae filaturae per unius integrae sessionis colonum, et a proportione etiam per $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{8}$ sessionis colonos domino terrestri ex materiali dominii statuantur.

In tabellis urbarialibus in rubrica sub nro. 11. inseratur filatura in numero librarum capacitati fundorum sub nro. 4. et 5. approportionanda, proque illius ratione infra mediam libram quoque in minoribus fractis exponenda. Ne tamen contribuens plebs damnificetur, dominus terrestris canabes, linumque non corrupta, aut madida, verum ad nendum apta et idonea, hocque fine praevie bene exsiccata et expurgata, pro perficienda

per colonos filatura praestet. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

Ut in casu etiam illo, si canabes et linum colonis non crescerent, ab iis filatura dominis observata eatenus sessionum qualitate rite praestetur, haec praestatio tabellis in rubrica nonae specifice inseratur. 1775. die 24. aug. nro. 3943.

ART. XI.
De nona ab agris in locum pratorum vel domalium fundorum assignatis, et vice versa.

Ex agris in locum pratorum vel domalium fundorum in constitutivum assignatis, nona non potest desummi, nec ex nascentiis ex secunda inseminatione productis, et semel nonam jam dependentibus, nona vel decima locum habet. Urbar. p. 5. §. 3.

Instructionis exeq. mag. cap. V. §. 22. statuit, ab agris illis, qui in defectu foenilium, aut fundi sessionalis intravillani vel pratorum sessionalium in horum adaequationem colono assignabuntur, nona exigenda haud erit, unde consequitur, quod totalis istiusmodi adjustationis capacitas, in numerum jugerorum reduci, reductaque indilate ad rubricam sub nro. 16. inseri debet, haecque ipsa quantitas ex capacitate in rubricis 4. et 5. contenta calculo arithmetico subtrahenda erit, adeoque in competentiam calculi nonae illud sumatur, quod a praevia ratione detracto remanserit, ac per consequens illud ipsum pro casu electi, vel determinati in robottis aequivalentis in rubricis sub nro. 6. et 7. tot dies exprimantur, quot nempe dies

praevio modo remansa capacitas titulo nonae praebebit; quod ipsum pro casu etiam electi vel determinati aequivalentis in pecunia observetur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

Quod prata in locum agrorum assignata concernit, licet quidem species haec appertinentiarum ab onere nonae excepta esset, quia tamen casu in illo vices agrorum subjectorum subiret, neque difficultas esset, prata in agros convertendi, ideo etiam casu in isto, nonam a pratis assignandam esse; ex quo tamen occasione assignatorum pro agris pratorum, praecipue hoc curae habendum sit, ut si revera in agros converterentur, quoad importantiam fructus adaequate vices suppleant, suapte itaque intelligendum esse, ut ad hoc omni cum diligentia reflectatur, ne praestationis nonae obligatio casum colono adhuc onerosiorem reddat.

Ex his proinde fluit; a terris arabilibus in vicem defectus constitutivi pratorum sessionalis, ac pro redintegratione eorum assignatis, siquidem illae indolem pratorum, quibus substituuntur, praeseferant, nullam nonam nec in natura, nec in aequivalenti desummi posse; e contra prata in vicem agrorum sessionalium pro redintegratione defectus illorum assignata, quantumvis per colonos non subarentur, sed ut falcastra duntaxat usuentur, nonae exactioni subjacere.

SECTIO II.

De septimae, octavae, et decimae constitutivum nonae efficientis regulatione.

1. In quibus locis septima vel octava absque praestatione tamen decimae a terris sessionalibus hactenus in usu fuit, ultro quoque stabilienda praecipitur.

2. In illis locis in quibus septima, octava, una etiam decima in usu fuit, ibi invicem seu septimae seu octavae nona substituatur.

3. Ubi hactenus decima in usu non fuit, ibi universaliter nec imposterum locum habeat.

4. Ubi hactenus nona non in stramine, verum in grano praestabatur, ibi nonae praestatio colonorum optioni relinquatur.

5. Ubi unus idemque colonus ab aliis postfundualibus terris per eundem tentis hanc, ab aliis terris aliam ex praescriptis speciebus praestationem hactenus fecisset, hic quoad omnes terras potioritati reliquorum colonorum accomodetur.

6. Fagopiri seu turcici tritici decima simpliciter ac ita tam pro praeterito, quam pro futuro abrogatur: ut nequidem in contractibus modalitate urbarialiter praescripta ineundis inferenda admittatur. (Nona tamen, ubi talis in natura praestatur, etiam ex fagopiro dominio competit).

7. Si nonnullis dominis terrestribus, qui jure cleri decimam erga arendas desumunt, penes ejusmodi decimas titulo terragii nec nona, nec loco ejusdem decima praestita fuisset, talibus conformitate b. circa designationem ejusmodi prae-

stationis emanatarum regulativarum resolutionum, nona respective in natura, respective autem in aequivalenti desumenda attribuatur.

8. Ubi vero domini terrestres hactenus loco nonae seu titulo nonae decimam perceperunt, tali in casu eorundem optioni deferatur, num velint ultronee etiam decimae desumptioni inhaerere, aut vero nonam praeeligere? In primo casu imposterum nona, in secundo vero casu decima locum non habebit, nona vero juxta praemissa accomodetur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22. ad finem.

SECTIO III.

De decima indolem nonae praeseferente, ejusdemque, tanquam objecto compensationis nonae, devectione an locum habente.

In quantum desumptio decimae jure terragii vigens substitutum nonae in natura praesefert, seu ubi decima sub hac nomenclatione quidem desumitur (ad jura attamen cleri referri haud potest) verum naturam et indolem nonae, aut praestationum jure, terrestrali dominio obvenientium praesefert, tunc principiis circa nonam defixis conformanda est. Quaestio, an ubi nona non in natura, ast in aequivalenti desumitur, et dominium in usu continuo desumptionis in natura contractualis decimae existeret, ibidem gratuita devectio hujus decimae, tanquam ad objectum compensationis nonae in aequivalenti relutae, referenda sit? Quaestionem gratuitae decimae contra-

ctualis, si tamen haec jure terrestrali ultra nonae in aequivalenti competentiam alicubi continuo usu desumpta fuisset, devectionis, ad objectum compensationis nonae in aequivalenti relutae ideo referri nequire, quod decima ejusmodi contractualis cum nona in aequivalenti nexum habere non videatur, prout nec occasione determinati pro nona aequivalentis ad praeallatam decimae praestationem reflexum fuisse ex urbario patet.

Urbarii provisio p, 3. §. 15. habet, quod colonus nonam, ubi eam in natura praestat, debeat ad locum destinatum citra imputationem in robottam devehere.

SECTIO IV.

An contractus quoad nonam urbariales, vel beneficiales sint?

Certum quidem est, nonam non ab urbariali instituto oriri; sed juxta patriae leges classem dominalium proventuum constituere, quia jus praestationis nonae non tantum, quod juxta leges inter regalia beneficia computatur, sed praeterea de ipsa natura nullatenus comisceri potest cum consuetis urbarialibus proventibus, eo minus, cum nonae praestatio non tantum ad colonos, sed etiam ad ipsos cives liberarum et regiarum civitatum, imo ad ipsos quoque nobiles extensa sit, et non tantum ex crescentiis terrarum urbarialium, sed etiam ex extraurbarialibus, utpote vino, agnellis, apibus locum obtineat, et ideo quod in urbario nonnulla circa nonam determinata sint, legalem naturam suam perdere non potest.

Parte ex altera observatur, quod nona urbarialis praestatio sit, et quod inter regalia beneficia numerari nequeat, quotidiana praxis docet, et urbar. p. 5. juxta quod nona inter praestationes urbariales computata refertur. Proinde si quae possessio nonam in natura non dedit, necessarium est, ut juxta instr. exeq. mag. cap. III. §. 1, et 2. in locum nonae reluitionis ab omni sessione 4 florenos solvat, aut robottas praestet, atque ideo cum contractui sic dicto beneficiali super regalibus dominio competentibus, usui tamen colonorum in arendam cessis, ea solum inseri valeant, quorum arendalia pretia pro ratione temporum ambulatoria sunt, et ab arbitrio dominii dependent, nona e converso dominio de lege et urbario competens ad hujusmodi objecta referri nequeat, ideo quod de positivo ejusdem urbarii praescripto certam, et inalterabilem titulo aequivalentis pendendam reluitionalem summam positive limitatam habeat, proin ejus devalvatio, aut elevatio nullo in casu locum sortiri possit; ideo praestatione nonae pro objecto beneficialis et ambulatorii contractus nullatenus statui queunte, eandem ad contractum stricte urbarialem inserendam esse. Nro. aul. 10100. 1809.

SECTIO V.

De tractatu, num nona et decima ex arvo, seu campo tertio dominio competat?

Circa decimam ex frugibus in tertia calcatura procreatis per clerum praetensam — 1774. nro. 647. resolutum est, ut ubicunque subditus 1. et 2.

calcaturae agris inseminatis tertium quoque campum qualicunque demum semine inseminaverit, talis a praestatione nonae, et decimae ab omnibus frugibus in tertia calcatura procreatis, alias etiam de natura sua decimae obnoxiis immunis sit. Immunitas tamen tertii campi eo solum intellectu summenda venit, ne videlicet per tertiam ejusmodi seminationem, decimae et nonae ex 1. et 2. calcatura obvenientibus quaqua ratione derogetur. Circulariter publicatum 18. julii nro. 3199. combina nros. aul. 5451. 1771. et 382. 3371. 1774. ubi quaestio haec agitata fuit.

Anno 1806. nro. aul. 7166. — locumtenentiali 16372 relate ad quaestionem illam, num nona ex arvo, seu campo tertio dominio competat? suam Majestatem sacratissimam resolvere dignatam esse; proventum nonalem dominiis terrestralibus e campo tertio ea ratione competere, ut si quis contribuentium seu in arvo, seu altera calcatura duplicem in anno seminaturam faceret, et ager duplicem uno eodemque anno fructum ferret, talis secundus fructus ab omni nona et decima immunis maneat, cujus b. favoris respectu tamen suam Majestatem clementer confidere, dominia terrestralia sponte contribuentem pro ratione localium circumstantiarum provocatura, ut tertiam etiam inseminent calcaturam, hacque ratione adaucta industria, productorum quoque quantitatem multiplicandam fore.

Observatio: Reflectendum esse eatenus tam ad claram legum dispositionem, quam et provisionem b. urbarialis regulationis, ac denique pro

casu attribuendae agris in sic dicto tertio campo sitis a praestatione nonae et decimae immunitationis, ad multifarias inde nectendas consequentias, quae fundatam dominis terrestribus de proventuum suorum diminutione querulandi ansam praebiturae sunt. Principium illud, quod in sensu legum ex omnibus terrae nascentiis domino terrestri nona, clero autem in quantum in usu fuerat, decima competat, quod item ex dispositione urbariali ab omni illa terra, quae pro constitutivo sessionali assignata habetur, et quae semel tantum intra annum inseminatur, nona, et respective si in usu fuit, decima praestari debeat, quodve vel inde, cum provisio urbarialis agrum altera vice intra annum fruibili semine inseminatum a depensione nonae, et decimae (juxta urbar. p. 5. §. 3. prout ad art. 11. dictum) immunem pronunciet, suapte sequatur, ab agro intra annum semel tantum inseminato, seu hic ad secundam, seu ad tertiam calcaturam referatur, praeattactum terragium omnino competere, quod denique si campus tertius immunitatem a nona et decima habuerit, hic melius per colonum excolendus, utiliori grano inseminandus, taliterque tam dominia terrestralia quam et clerus toties quoties non sine notabili jactura eludenda sint, cui et id accedit, quod invalescens ab aliquot annis in linea culturae agrorum pro arvo alias destinatorum frequentior sit industria, quodve illis praesertim in partibus, ubi usus fimationis non est, illud enascatur incommodum, quod agri etiam pro 1. et 2. calcatura alias destinati steriliores suapte reddantur, et hinc pro-

ventus etiam nonae dominio diminui debeat, quod item domini terrestres per seminaturam campi tertii in respectu etiam competentis in arvo pascui cousus in usu fructu beneficiorum coarctentur.

SECTIO VI.

De ovium decimatione, agnellorumque nonatione; et decimatione.

ART. 1.

De prohibita decima ovium quaestuariarum salva agnellorum nonatione et decimatione.

Ovium titulo quaestus ad aestiva pascua per incolas adpellendarum decimatione nec in lege, nec in aliqua b. resolutione fundata existenee (nisi peculiaris eatenus fiat libera conventio) intuitu talismodi ovium regula in instr. exeq. mag. cap. V. §. 22. puncto quoad 12. tabellae rubricam praescripta observetur in eo, ut in casu quo incolae cum ovibus quaestum exercentes a talibus quaestuariis ovibus in particulari eo modo, quo a domesticis in medium communitatis non contribuerent, pro eo casu oves tales communitas in pascuo communi alere non obligatur, verum quaesturantes ad procurandum pro eis alia ratione pascuum invientur, et in hoc casu salvum sit dominio cum quaesturantibus ratione privativi sui dominalis pascui eisdem cedendi conventionem inire, ut autem a quaestuariis ovibus non in privativo dominii, ast in communi communitatis pascuo alimentatis dominium decimam in natura, aut decimae vel alio quocunque titulo pecuniam desumat, id nulla ratione admitti,

salva tamen agnellorum etiam ex quaestuariis ovibus provenientium legali decimatione, et nonatione. 1780. nro. 3406. 26. Mai.

ART. II.

De censu titulo pascui in confiniis exarendari soliti et agnellorum decimatione.

Reflexe ad censum titulo pascui pro ovibus seu per confiniarios in provinciali, seu per provinciales in confiniis exarendari soliti, tam relate ad pascuationem, quam et desumptionem decimae agnellorum disertas conditiones et conventiones obtinere locum, et ubi de praestanda decima peculiaris contractus initus non est, neque desumptio decimae obtinet, pro futuro etiam censum pro pascuo per extraneos solvendum et desumptionem decimae agnellorum unice ab ineundis pactis et conventionibus dependeres. $\frac{13845}{24669}$ 1811.

SECTIO VII.

De nonae vini quali mensura desumptione.

Nona vini eadem mensura, qua ipsa procreatio mensuratur, et quidem urna posoniensi a 32. pintis computata, atque ex eadem specie, cujus est procreatio, absque omni additamento exigatur. Urbar. p. 5. §. 6. (vide jus montanum).

SECTIO VIII.

De complexu eorum, quae de nona in legibus stant.

ART. I.

Statuta juxta antiquiores leges.

a. Ludov. I. regis art. 6. 1351. In omnibus jobbagyionibus nostris, aratoribus et vineas habentibus, in quibuslibet villis liberis, ac etiam udvarnicalibus villis, quocumque nomine vocitatis, ac reginalibus constitutis (exceptis civitatibus muratis) nonam partem omnium frugum suarum, et vinorum suorum exigi faciemus, et domina regina exigi faciet, ac barones et nobiles similiter ab omnibus aratoribus, jobbagyionibus et vineas habentibus, in quibuslibet possessionibus ipsorum existentibus, nonam partem omnium frugum suarum et vinorum suorum pro eorum usibus exigant, et recipiant.

Praelati quoque et viri ecclesiastici jobbagyiones habentes primo decimas, posthaec similiter nonam partem omnium frugum suarum, et vinorum suorum exigant.

Et si qui in exactione praedicta secus fecerit, nos in talium rebellium et praesentem nostram institutionem alterantium, possessoribus pro usu nostro, ipsam nonam partem ipsorum frugum et vini exigi faciemus, sine diminutione, et relaxatione aliqua; ut per hoc honor noster augeatur, et ipsi regnicolae nostri nobis fidelius possint famulari.

Id ipsum continetur anno 1492. Uladisl. II.

decr. I. art. 47. 48. (post vinorum suorum, additur, aut acones consuetos) combina art. 49. et 104. ibid.

b. Uladisl. decret 2. anno 1495. art. 44. Quia ratione exactionis decimarum, ac etiam nonarum inter praelatos et barones, ac alios nobiles et possessionatos homines plurimae difficultates in eo exortae essent, utrum scilicet primo decimae, ac postea nonae persolvi debeant? pro eo ordinatum est, quod sicuti hactenus consuetum fuit, ita et imposterum prius nonae, deinde autem decimae persolvantur.

Ulad. decr. 4. art. 29. 1500. Domini terrestres tam de segetibus decimari solitis, quam etiam de vinis nonas eorum solitas exigant, et quidquid a nonis residuum fuerit, de eo solummodo praelati et ecclesiasticae personae decimas colligant.

c. Ulad. decr. 3. art. 41. 1498. Cives budenses, albenses, et de Zalankemen, et aliae quaelibet civitates tam regales, quam aliorum quorumcunque in terris aliorum vineas habentes, seu araturas facientes, dominis terrestribus nonas solvere teneantur; id ipsum est, Ulad. decr. 7. art. 58. 1514. Const. Bacs. 1518. art. 27.

d. Ulad. decr. 4. art. 27. 1500. A modo imposterum ab universis et singulis jobbagyionibus araturas facientibus, et vineas habentibus non acones, prout in certis locis solebat, sed nonam partem omnium frugum, ceterarumque segetum decimari solitarum, et vinorum ipsorum modo et ordine

in minori decreto art. 47. denotatis exigant, et exigi faciant, sub poena ibidem specificata.

e. Ulad. decr. 6. art. 15. 1507. Decimae isto modo de cetero semper reddantur, ita ut de decem capetiis una dominis praelatis pro decimis, altera vero dominis terrestribus pro nonis exigatur; octo colono seminanti remanebunt.

f. Art. 69. 1563. Nobiles de vineis suis in propria terra adjacentibus nullas decimas solvere teneantur, sed de illis, quas non in proprio fundo, verum in aliis promontoriis habent, et de illis domino promontorii jus montanum vel nonam solverint, praelatis quoque et ecclesiasticis decimas solvere sint obligati.

ART. II.

De nonae, aut alterius terragii, juris item montani, ac decimae in natura desumptione; art. 7. anno 1802.

Ne per tardiorem nonae, aut alterius terragii, juris item montani, ac decimae in natura desumptionem, damna agricolis, fundos erga has praestationes excolentibus inferantur, annuente sua Majestate sacratissima status et ordines decreverunt.

§. 1. Ut quamprimum messis, aut falcatio frugum authumnalium omnis speciei per agricolas in eodem terreno, aut in compossessoratu ejusdem domini terrestris quosvis titulo nonae aut cuiusuis terragii, aut decimae in natura obvenientis fundos tenentes plene terminatur, illico per eosdem agricolas domino concernenti, aut ejus reprae-

sentanti insinuàtio eatenus fiat, et id ipsum post terminatam etiam messem aut falcationem vernalis procreationis observetur, ac si vel priori, vel posteriori, aut utraque occasione idem dominus, aut ejusdem repraesentans a die factae sibi insinuationis intra 8. dies numerandos, nonam aut qualecunque competens in natura terragium, aut decimam desummere negligeret, agricolis talibus qui per dilationes similes damnificarentur, integrum erit, evoluto octiduo, concernentis domini quotta obveniente in agris juxta sensum articuli 30. 1569. relicta, residuam procreationem convehere.

§. 2. Pari ratione ad evitandas in procreatione vini quoque illorum, qui vineas nonae, qualicunque jure montano vel decimae in natura desummi consuetis obnoxias cultivant, damnificationes constitutum est;

Ut concernens dominus, aut ejus repraesentans nonam, aut qualecumque competens in natura jus montanum, aut decimam intra tempus per jurisdictiones comitatuum pro ratione localium circumstantiarum, auditis etiam dominis terrestribus defigendum, inomisse sub poena in citato art. 95. 1647. expressa, sub vindemiis, juxta modum aeque per jurisdictiones determinandum, in musto vel racemis exigant, salvis contractibus, vel conventionibus privatis, respectu nonae, aut cuiuscunque terragii, aut juris montani, vel decimarum initis, aut ineundis; salvo item partium illarum usu, in quibus hactenus sub ipsis vindemiis nonae, aut cuiusuis montani juris, vel decimae desumptio singillative quoque in usu fuit.

P

Art. 3. 1807. Annuente sua Majestate sacratissima status et ordines provisionem articulorum 3. 1805. — 7. 1802. — 12. 1792. et in hoc provocati 35. 179°₁. sub deductis in hoc postremo cautelis, et conditionibus, usque proxime celebranda comitia hac quoque vice praescissis cunctis innovationibus, extendendam, una ad praecavendum colonorum ob dilatam nonationem damnum art. 7. 1802. serio insistendum, decreverunt eo addito, quod dominiis vinicolas, ut totam suam procreationem ad domum nonatoriam devehant, adstringere nec in illis partibus liceat, in quibus nonam aut qualecunque jus montanum hactenus sub ipsis vindemiis desummendi usus vigebat. Verum nonatores suos ad faciem vinearum exmittere, atque ibi partem pro nona, aut qualicunque jure montano obventuram designare teneantur, quam vinicolis ad domum nonatoriam invehere incumbet.

CAPUT VI.

De jure montano.

SECTIO I.

De desumptione juris montani.

ART. I.

De mensura juris montani, adauctisque praestationibus post 1715 introductis, penitus tollendis.

Quoniam articulus 97. anni 1715. claris verbis innuat, ne jus montanum ultra antiquam con-

suetudinem augeatur, sed et compluribus legibus praecautum esset, ut jus montanum non alia, quam posoniensi mensura desummatur; ideo ad exigentiam harum legum statuitur; ut ubicunque a tempore praecitati articuli, anno utpote 1715. vel ipsa quantitas antea praestiti musti per aliam a posoniensi differentem, adeoque abusivam mensuram adaucta, vel vero aliae quaepiam novae praestationes introductae fuissent, hac omnes qua illegales et excessivae indilate per exequentes magistratuales sufferantur, ac ipsa quantitas juxta praecitatam antiquam consuetudinem praestanda, ad mensuram posoniensem reducatur, ubi vero post tempus conditi illius articuli novae vineae et nova promontoria implantata, ac tempore novae talis implantationis quantitas juris montani vel per scriptam conventionem, vel secus pactata fuisset, ibi talis cum ipsa nova implantatione conventa quantitas musti ad mensuram posoniensem reducenda ulterius etiam praestetur, si tamen et in his novis promontoriis ab eo tempore novae praestationes quaepiam adjectae haberentur, hae pariter qua illegales, et abusivae juris montani auctiones in instanti penitus tollantur. Urbar. p. 5. §. 6. 7. nec non instr. exeq. mag. cap. 3. §. 4. Ex hoc ergo deciso consequitur, in rubricis conscriptionalibus non aliam musti quantitatem inseri posse, quam unice illam, quae juxta praedeductum decisum pro justa et legali adinventa fuerit. Ibidem.

P 2

ART. II.

De praestationibus ante annum 1715 locum habentibus — porro etiam in usu relinquendis — conventione item relate ad vineas novitus plantatas.

Si titulo juris montani quid etiam aliud seu in naturalibus, seu in pecunia jam ante conditum articulum anni 1715. domino huic vel illi praestitum extitisset, in hocque usu concernentia dominia a tempore illo hactenus imperturbate extiterunt, in tali usu ulterius quoque relinquenda, et hoc ipsum intelligendum observandumque veniet respectu quoque vinearum a tempore praecitatae legis implantatarum respectu universarum praestationum illarum occasione novae implantationis titulo juris montani inter dominum terrestrem et subditos conventarum. Ne autem seu quantitas musti seu aliae modalitate praeattacta consuetae titulo juris montani exactarum praestationum species inposterum quoquo modo augeri valeant, juxta formular sub F. et N. 6. pro singulo individuo subdito sua competentia concernentibus inscribatur rubricis.

ART. III.

De nona loco juris montani desummi solita.

Quia vero in nonnullis promontoriis non jus montanum, verum nona locum haberet, hinc tales quoquae vineae cum expressione, quod in his nona in natura, et non aliud, praestanda veniat, juxta exemplar sub G. et N. 7. conscribantur. Instr. exeq. mag. cap. 3. §. 5. et 6..

ART. IV.

De tabellari specificatione juris montani.

Ne jus montanum taliter reductum imposterum quoquo modo augeatur, in singulo loco ubi illud desummitur, specifica vinearum et ab his obvenientis juxta mensuram posoniensem juris montani sub authentico comitatus expediatur connotatio, tam apud dominum terrestrem ac subditum, quam et comitatum asservanda. Urbar. p, 5. §. 8.

ART. V.

De juris montani depensione in defectu procreationis vini.

Si in promontoriis nulla plane esset vini procreatio, non obstante eo colonus obligatur quidem ad jus montanum in defixa mensura domino terrestri dependendum, cum tamen illud non in parata pecunia, sed in natura pendi debeat, in tali casu ex subsequi anni procreatione praestabitur. Urbar. p. 5. §. 9.

Si non probetur, vineas subditorum culpa incultas esse, jus montanum ab iis exigi nequit. B. resolutio nro. aul. 4698. 1785.

ART. VI.

De devectione juris montani

Jus montanum quod in natura praestatur, subditus ad locum in territorio procreationis designandum extra imputationem robottae convehere tenetur. Urbar. p. 3. §. 15. (vide nonam).

SECTIO II.

De practicis casibus ius montanum respicientibus.

1. Jus montanum loco nonae et decimae in comitatu posegano stabilitur. Nro. aul. 315. 1771.

2. Nro. aul. 751 1771. acta urbarialia, et haec concomitantes relationes executionales indubie respectu cujusuis individualis loci perhibent, jus montanum in comitatu albensi non vigere. Vinearum conscriptione peracta cum ea expressione, quod a talismodi vineis nona in natura, et non aliud, praestanda veniat.

3. Subditi ab onere praestationis juris montani non aliter sublevari, et hoc in nonam transmutari potest, quam si dominium terrestale ad id accesserit, nro. aul. 4065. 1785. relate ad Németh ujvàr in comitatu Castriferrei.

4. Etiam avena tituto juris montani exigebatur. Nro. 3160. 1785.

CAPUT VII.

De decima.

SECTIO I.

De decimae praestatione.

In capite V. operis huius jam multa dicta sunt de decima sub tractatu de nona.

ART. I.

De articulis, unde decima penditur et exigi prohibetur.

Decimationi juxta articulum 1. 1481 (etiam urbarii puncto 5. §. 5. provocatum) non aliae species subsunt, quam vinum, agnelli, apes, purum aut mixtum siligine triticum, millium, siligo, hordeum, et avena. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 30.

Hajdina Fagopiri, seu turcici tritici decima tam pro praeterito, quam futuro simpliciter abrogatur ita, ut nequidem in contractibus, modalitate urbarialiter praescripta ineundis inserenda admittatur. Ibid. cap. V. §. 12. p. 6.

Ubi hactenus decima in usu non fuit, ibi universaliter nec imposterum locum habeat. Ibid. p. 3.

Intertentio decimatorum prohibetur. Urbar. p. 7. §. 16. item prohibitorum p. 1.

Relate ad quaestionem, num spelta, seu tenkel desumptioni decimae obnoxia sit? quamvis in art. 51. 1498. ultra species in art. 1. 1481. recensitas, spelta quoque seu tenkel per expressum decimae subjicienda numeraretur, spelta autem in pluribus partibus una esset ex communibus fru-

gum speciebus, decimatioque huius speciei communi usu practicaretur, his tamen non obstantibus b. resolutione regia anno 1771. die 8. martii nro. 1137. decisum, ut urbarii p. 5. §. 5. inhaereatur, quippe quod decima ab aliis frugum speciebus, quam quae in articulo nominantur, desummi haud possit.

ART. II.

De decimae convectione.

Decimam non tenetur rusticus convehere citra imputationem in robottam. Urb. p. 3. §. 15.

ART. III.

De decimae objectis ad sphaeram urbarialem haud pertinentibus.

Quaestionem decimae juxta tenores urbarii p. 5. §. 5. ad institutum urbariale non pertinere.

ART. IV.

De praestatione decimae ex tabaca.

In locis, ubi procreatio tabacae peculiarem aeris et industriae ramum constituit, et non tantum coloni, sed etiam inquilini terras et hortos tabacae subservientes habent, dominium in desumptione dominalis decimae ex tabaca in extravillanis procreata in natura non impeditur, exceptis fundis intravillanis, et iis quoque, qui in defectu intravillanorum assignati tabaca inseminantur. Nro. 19143. 1811.

SECTIO II.

De decima in Banatu in locum nonae vigente.

ART. I.

De decimae praestatione generatim.

Juxta urbar. banat. cap. V. In tribus his banaticis comitatibus in locum nonae in hungaricis comitatibus vigentis, porro quoque decima dominio penditur. Decima in locum nonae consideranda ex illis terrae nascentiis, ex quibus secus juxta art. 1. 1491. nona competit, desummitur.

Ex fructibus hortensibus, caulibus, et leguminibus dominis decima non competit.

Colonus tenetur decimam extra robottales dies dominio in territorio ad locum designatum devehere.

Decimatoribus exmissis non competit quarterium, nec victus aut praejunctura ex parte colonorum vel communitatis praestanda. Dominium obligatur decimam vini, agnellorum, haedorum, et apium in natura desummere, nullatenus autem in pecunia, nisi mutuo aliter inter se libere convenissent.

(Desumptione decimae a fabis, et cucurbitis intra fagopirum seminari solitis sub prohibitionem urbarii non cadente, judicialiter stabilita, usuque illius in cameralibus possessoriis communiter locum habente; secus per talem inseminationem notabilem decimae partem ex fagopiro dominio decedere innegabile esset. In causa valboulicnsium nro. $\frac{\text{locum. } 5642}{\text{aul. } 4232}$ 1813.

ART. II.

De decima frugum.

Decima haec propter uniformitatem in stramine desummitur, et cum 20. aug. debet ex integro terminari, secus colono licitum est, fruges suas relicta in campo decima, domum devehere. Praedictus terminus tunc exceptionem patitur, si nefors tempestas maturitatem frugum retardavit, vel vero aliae causae pro alleviatione colonorum inductionem frugum pro defixo termino impedirent.

ART. III.

De decimae conscriptione.

In hac sequentia observanda. 1. dies conscriptionis decimae communitati praevie notificetur. dominalis officialis conscribens exeat ipse ad campum, et connumeratio fiat in praesentia judicis, (Kneesen) 2. juratorum et coloni, cujus fruges conscribuntur. 3. Conscriptionalis lista colonis praelegatur, an cum productionis quanto conveniat? 4. singulo colonorum extradetur schaedula, in qua decimae competentia pro hoc anno inserta est. 5. Contrabandae locus est tunc tantum, si evidens sit, quod colonus quid recondiderit, aut jam praevie induxerit.

ART. IV.

De decima vini.

Cap. V. §. 4. 1. Haec competit dominio in natura, et colonus contra voluntatem non potest cogi ad hanc in pecunia redimendam. 2. ab hortis. vitibus implantatis, qui non qua vitiferi colles con-

siderantur, decima non competit. 3. in desumptione decimae mensura posoniensi utendum.

4. Si decima in natura praestatur, colonus non tenetur vasa gratuito dare.

Vide nros. locumt. 20190. 1804. nro. 6487. 8884. 18166. 1805. et 24675. 1813.

ART. V.

De decima agnellorum, haedorum, et apum.

Decima haec peraeque in natura desummitur, et dominio vetitum est, colonum, nisi ipse velit, ad reluitionem in pecunia adstringere. Decima apum competit tantum ex novis, illo anno accrescentibus examinibus. Si praedicta decimum numerum non attingant, tunc dependantur dominio pro singulo agnello $1\frac{1}{2}$ xr. — pro haedo $1\frac{1}{2}$ xr. pro uno alveari 4 xr. Decimae autem hujus desumptio vigore articuli 96. 1625. ultra festum Joannis Bapt. non extendatur. Ibid.

Agnorum conscriptionem eo scopo instituere, ut agnos 10. numerum haud aequantes, de anno in annum copulative aggregare, ac sic in vicem aeris parati urbarialiter defixi decimam in natura dominium desumere possit, prout etiam relate ad novorum examinum apum decimam copulative de anno in annum transferendam, usum si introducatur, canonisari non posse. Nro. $\frac{6642\ \text{aul.}}{2232}$ locumt. 1813

SECTIO III.

De decima sic dicta sicca.

Desumptio hujus decimae in terris eodem anno pro seminatione destinatis, quas subditus nec

per se, nec medio alterius excolere vellet, a proportione extensionis terreni, et illius anni procreationis penes vicinos coincolas observatae in eadem, quam proximi vicini inseminant, specie, eo tantum in casu admittitur, ubi colonus domino terrestri de eo, quod agrum suum semine providere non possit, tempestive insinuationem facere intermitteret, facta enim hac insinuatione ad dominium terrestrale pertinet de modalitate cultivationis seorsivam facere provisionem, eo alioquin subintellecto, quod desumptio hujus decimae in casibus extraordinariis luis pecorum et similium, ob quos subditus tales agros nec per se nec per alios excolere possit, locum nullatenus habeat. Nro. aul. 2117. 1811.

Decima sicca desummitur ab illis quoque terrenis quae coloni vi alicujus obligationis, contractualis vel alterius generis repurganda aut extirpanda assumpserunt, in eum casum, si extirpationi manum haud admoveant, aut in hac defixos terminos non observent, semper tamen in rata proportione — quoad Lugossienses in comitatu Krassov. 8705. 1813. aul.

SECTIO IV.

De parva decima (minori).

Praestationes culinares ad quantitatem urbarialiter competentem semper reducendae, veniunt in comitatu Temess, et alibi nomine parvae decimae.

Secundum proportionem circa minorem decimam urbarialiter praescriptam, dum integrae

sessionis colonus 4. pullos, 12. ova, et 1. mediam butiri dat, tunc mediae sessionis 3. pullis. 9. ovis, et $\frac{3}{4}$ butiri — quartalista 2, pullis. 6. ovis, et $\frac{2}{4}$ butiri — octavalista vero uno pullo, 3. ovis, et $\frac{1}{4}$ butiri tenetur, cum ceteroquin nec in diversae qualitatis colonorum appertinentiis talis proportio esset, quae nomenclationi integrae, mediae, quartae, aut octavae corresponderet nec alter modus desumptionis in numero, cum secus octavalista, si octavam partem ejus daret, quod integrae sessioni obvenit, daret medium pullum, et $1\frac{1}{2}$ ovum, quod ipsum etiam probae deservit, quod non juxta nomenclationes, verum juxta qualitates datiae sessionibus colonicalibus admensae sint, quae in minori decima, alia proportione, quam quae explanata est, venire haud possunt.

Calculus igitur obtingentiae minoris decimae non per divisionem quanti obtingentis relate ad quartalistas; et octavalistas in 4. vel octo partes, verum in proportione ad constitutivum, et jugera sessionalia ducendus venit, ac juxta hunc tres quartalistae et quinque octavalistae obtingentiam unius integrae sessionis praestare tenentur.

Contractus dominium inter principis Grassalkovics in comitatu Pest, et colonos ejusdem dominii quoad competentem ex minutis decimis, utpote caulium, canabum, fabarum, cucurbitarum et aliarum hujus generis terrae nascentiarum nonam, initi, erant quidem in usu, sed cum communitates assumptos hoc titulo labores sibi pro onere esse declaraverint, factas fuisse recentissime eas ex parte dominii terrestralis dispositiones,

ne horum intuitu ullae dehinc cum communitatibus, quae idmodi contractus sibi graves reputant esse, accordae fiant, verum ex his competens nona in natura desumatur.

SECTIO V.

De decima observationes et recentiores benignae dispositiones regiae.

Decisione quaestionum de decimis occurrentium comitatibus per legem, ac in specie articulum 28. 1715. delata, negotium decimale a tramite lege definito abstrahi non posse, illudque ad sphaeram pertractationis politicae nonnisi eo sub obtutu pertinere, ut per hoc legum eatenus praescriptarum effectus procuretur, hinc etiam complures b. resolutiones existere, quibus subortae de decima quaestiones ad legalem suam competentiam relegatae habentur (nro. 13109. aul. 1802. Urbar. p. 5. §. 30. explanatoria urbarii resol. p. 5. §. 5.).

Leges, quibus modus exigendi, et arendandi decimas definitur, articulo 1. 1481. — 29. 1500. — 30. 1619. — et 23. 1635. contineri, ne autem contribuentes per desumptionem decimarum arbitrariam opprimantur, necessarias eatenus regulas articulo 89. 1655. praescriptas haberi.

Tenores resolutionis nro. aul. 12845. 1813. 15. octobris. Medio Consilii regii locumtenentialis jurisdictionum sollicitudinem et vigilantiam eo provocandam venire, ut cum in desumptione nonae et decimae non ubique eadem legibus et urbarialibus ordinationibus conformis ob-

servetur manipulationis ratio, jurisdictiones objectum hoc sibi peculiari curae habeant, comperiendas nefors hinc inde arbitrarias a praescriptis hac in parte directivis regulis deviationes, et excessus indilate sufferri procurent, et contra eos, in quos culpa reciderit, non modo ad satisfactionem damnificatis praestandam, sed etiam ad dictandam commensuratam animadversionem autoritate magistratuali procedant. (Nro. aul. 14164, 1814.).

Suam Majestatem sacratissimam ad id efficaciter obtinendum, quatenus patriae leges normam et cinosuram decimationis, et nonationis clare definientes, omni cum sanctimonia quam exactissime observentur, benignaeque dispositiones quae relate ad tollendos omnes abusus, in arbitraria nonae et decimae desumptione cum contribuentium oppressione et injuria irrepere queuntes saepius ac iterato publicatae sunt, omni cum vigilantia ubivis effectui mancipentur, in nexu b. resolutionis die 15. oct. 1813. nro. 12845. clementer praecipere dignatam esse, ut universis regni comitatibus sub onere responsionis concernentes magistratus etiam in individuo mansuro, qui erga detectos hujus generis excessus legale remedium illico adferre neglexerint, strictissima vigilantia, et praexistentium eatenus plane salutarium legum et benignarum dispositionum effectus quam strictissime injungatur. Nro. aul. 678. 13. jan. 1815.

CAPUT VIII.

De censibus.

SECTIO I.

De censibus urbarialiter stabilitis.

ART. I.

De censu domali 1 fl.

Singulus domiciliatorum colonorum, et inquilinorum, citra exceptionem obligatur dominio depensione annui census cum uno floreno, in duabus ratis solvendi, festo S. Georgii et Michaelis. Non domiciliatis a census hujus solutione liberis; et hoc tam in hungaricis quam et banaticis comitatibus. Urbar. hung. p. 4. §. 1. — Banat. Cap. 4. §. 5.

ART. II.

De depensione tot florenorum titulo census, quot sessiones intravillano provisae possidentur.

Si quis colonorum integras duas, aut tres etiam sessiones colonicales fundo quoque intravillano provisas possideret, casum in eum, tametsi unam saltem domum inaedificatam habeat, ob usumfructum tamen harum sessionum intravillanarum totidem florenos quot sessiones tenet, pendere tenetur, si e contra penes plures sessiones extravillanas fundum intravillanum nonnisi pro una sessione excisum haberet, tunc non obstante plurium extravillanorum possessorio nonnisi unum flor. dominio praestare obligatur. Inst. exeq. mag. cap. V §. 22.

ART. III.

De tractamento coloni possessorio ad duos dominos terrestres spectante provisi.

Casu vero in eo, si e. g. agros et prata sessionalia colonus habet in fundo Petri, domum autem incolat in fundo Pauli, huic censu domali, et praestatione 18. dierum manualis robottae, illi vero datiis et servitutibus colonicalibus tenebitur. Instr. exeq. mag. ibid.

SECTIO II.

De censu cellariali.

Cum census, aut taxa a cellariis vinariis relate ad subditos neque in urbario, neque in legibus fundetur, taxa vero, seu census ille, qui vigore instructionis exeq. mag. a lupuletis, pomariis, et prunetis desummi admittitur, ad cellaria pro arbitrio extendi nequeat, ex eo introductus hic abusus tam in locis Bánhorváth, Botta, Uppony, Mercse et Királyd in comitatu Borsod, quam et reliquis ubi is adhuc vigeret, de positivo jussu regio sufferatur, eademque dominia ad restitutionem indebite desumptarum hujusmodi taxarum una cum interusuriis a tempore coeptae idmodi desumptionis computando adstringantur; ddo. 5. oct. 1786. nro. locumt. 42976.

Quae b. resolutio regia erga repraesentationes nonnullorum comitatuum anne 1787. nro. locumt. 8083. in eum sensum iterata est, dominiis terrestralibus a subditis taxam cellariorum in quocunque demum loco eadem etiam constituerentur,

nullatenus desummere integrum esse, ab exteris attamen, qui in toto loci illius territorio nihil praeter vineas possident, ejusmodi cellariorum taxam, ubi ea hactenus vigebat, dominia ultro desummere valere.

Quoad taxam hanc Miskolczini inductam, in intimato Consilii regii locumt. nro. 10182. 1804. ad comitatum Borsod emanato stat; quod prohibitio taxae hujus ad casum contractualis oppidanorum Miskolcziens. tractamenti applicari nequeat, ex eo quod inhibitiones exactionum ultra concessionem regulamenti urbarialis introductarum (qualis et illa cellariorum taxa existit) ad antevertenda colonorum praegravia interveniant, oppidanis ceteroquin per contractum facta ad urbarium combinatione notabiliter alleviatis. Nro. aul. $\frac{7555}{14140}$ 1812.

SECTIO III.

De censu caponali.

Census caponalis a terris duntaxat in constitutivum urbariale sessionale imputatis exigi olim solitus, vigore generalis urbarii eatenus provisionis pro abrogato habendus est, neutiquam autem a terris seu emptitiis, seu ex annuo censu in reluitione nefors caponis praestando usuatis, inter dominia et colonos pactatus, ut adeo hujus posterioris desumptio, in quantum talis fundos urbariales non respicit, inter puncta prohibititia referri non possit, ubi de pratis emptitiis, et his incumbente caponali onere agitur. Nro. $\frac{\text{aul. } 9966}{\text{locumt. } 16734}$ 1804.

Census caponalis titulo terragii a falcastris ab uno jugero hinc et inde in 15 xr. defixus.

Census industriales in Banatu, vide suo loco.

CAPUT IX.

De ceteris praestationibus et datiis colonorum.

SECTIO I.

De praestationibus juxta urbarium hungaricum.

ART. I.

De praestationibus generatim.

Praestationes naturalium, et quarumvis datiarum b. urbario non contentae penitus abrogantur. Urbar. p. 7. §. 18.

Praestationes urbariales etiam medio executionis vindicantur p. 9. §. 6.

Intertentio tamen exmissorum pro executione, prout et exactiones pecuniariae, nec non oppressiones sunt sublatae et vetitae, demptis executionalibus grossis p. 7. §. 11.

Naturalium et pecuniariae collectae sunt sub poena 24. baculorum vetitae, p. 8, §. 9. Praestationes et servitutes qualitati constitutivi sessionum approportionandae sunt. Urbar. p. 1. §. 1.

ART. II.

De annuis colonorum praestationibus.

Colonus integrae sessionis praestat dominio 2 pullos, 2 capones, 12 ova, unam mediam butiri,

(in defectu pascui et vaccarum sunt a praestatione butiri exempti) et sic a proportione $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$ et $\frac{1}{8}$, puncto 4.

30. Coloni integrae sessionis dant domino terrestri annue vitulum unum, vel hujus loco 1 fl. 30 xr. Urbar. p. 4. §. 3. — ubi non sunt 30 coloni, singulus eorundem soluit 3 xr., instr. exeq. mag. cap. V. §. 30.

ART. III.

De tempore praestationum.

Tempus praestationum pro arbitrio domini terrestris; butiri a medio mense maii usque festum Michaelis observata posoniensi mensura.

Caponum aestate, et authumno.

Pullorum a festis pentecostes usque Jacobi.

Ovorum a vere usque nativitatem B. M. Virginis.

Cautum est altilia farta praetendere, seu in horum aetate, aut magnitudine praetensiones formare. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

Praestationes hae capacitati fundorum sessionalium approportionandae — et taliter in tabellis urbarialibus inserendae. Ibid.

ART. IV.

De reluitione victualium.

Si haec domini terrestres volentibus id ipsum colonis per eosdem parata pecunia redimenda postularent, pro iis aequivalens pecuniarium 48 xr. haud excedat. Ibid. et urbar. p. 4. §. 2. et 5. Singillative autem constituit, et quidem:

pro butiri media una, a 20 xr.	—	20
2 caponibus a 9 xr.	—	—	18
2 pullis — a 3 xr.	—	—	6
12 ovis — tria ab 1 xr.		—	4

Summa ab una integra sess. 48 xr.

Rata vituli constituit tres xros, ergo redemptio victualium facit respective 51 xr.

Victualia cuiuscunque generis subditis emenda, aut vendenda non obtundantur. Urb. p. 7. §. 15.

ART. V.

De eventualibus praestationibus.

Occasione nuptiarum domini sui terrestris (non autem prolium) ita etiam tempore primitiarum (exceptis tamen capitulis, et conventibus) moderatum in victualibus urbarii p. 4. §. 2. specificatis (in opere isthoc art. 2. contentis) subsidium coloni praestent. Urbar. p. 4. §. 4.

Si dominus terrestris tempore belli in captivitatem incidat, unde se propria pecunia redimere deberet, obligarentur coloni de recepto usu, et juxta praescriptum art, 39. 1548. pro redemptione domini terrestris conveniens moderatum subsidium praestare. Urb. p. 4. §. 6.

Diaetale subsidium dominis per regales ad comitia evocatis per subditos praestandum, cum debito tamen moderamine, atque eatenus, ne illud justam mensuram excedat, per comitatus invigilandum. Ibid.

In comitatu nitriensi diaetale subsidium a singula integra urbariali sessione 1812. est in 48 xr. V. V. defixum.

NB. reluitio cunctarum praestationum et robottarum urbarialium in paratum aes reducta. (vide part. III. cap. VI. art. 7.).

SECTIO II.

De praestationibus colonorum in Banatu.

Praestationes colonorum in Banatu definiuntur, urbar. banatico cap. 4. §. 4.

1 Industriales praestationes vel census a fundis non ad constitutivum pertinentibus a singulo jugero 30 xr. dependuntur.

2. Ab olla crematoria, annis dum coloni crematum exurunt, annue 2 fl.

3. A proportione constitutivi dant coloni annue domino 2 pullos, 2 capones, 12 ova, mediam butyri, insuper 30 domus unum vitulum ab 1 fl. 30 xr. aestimatum; seu 3 xr. pro una domo, aut vero horum loco integrae sessionis colonus in 1. classe dat dominio 51 xr. — an tamen dominium victualia haec in natura velit, vel vero aequivalenti, in ejusdem dominii potestate est.

Ergo integrae sessionis colonus solvit in

	1. Cl.	51	xr.	2. cl.	$38\frac{1}{4}$	xr.	3. cl.	$30\frac{1}{2}$ xr.
Mediae	—	$28\frac{1}{2}$	-	2. -	$21\frac{1}{2}$	-	3. -	$17\frac{1}{2}$ -
Quartalista	—	$16\frac{1}{4}$	-	2. -	$12\frac{1}{2}$	-	3. -	$10\frac{1}{2}$ -
Octavalista	—	$10\frac{1}{2}$	-	2. -	8	-	3. -	$6\frac{1}{4}$ -

A longa vectura, et ceteris praestationibus, urbario hungarico p. 4. §. 4. et 6. contentis — utpote nuptiali, primitiali — captivitatis hostilis, et diaetali subsidiis coloni in banatu liberi.

SECTIO III.

De praestationibus antiquissimis temporibus usitatis.

Praestationum antiquis temporibus conspectum exhibet, Ulad. 2. regis decretum VII. 1514. art. 15. utpote.

a. Centum denarios unum florenum aureum facientes singuli rustici uxorati (seu sessionati, seu domos habentes, sive autem inquilini suit) dominis solvere teneantur, et quidem 50 denarios in Georgii — 50. Michaelis festo. Si alicubi plus soluissent, talis census per hanc constitutionem diminunus esse non intelligatur, (v. Ulad. 7. art. 15. et 17.)

b. Ibid. 16. qualibet hebdomada uno die domino servire teneantur. (art. 11. 1553. et 18. 1723.)

c. 17. singulis mensibus singulum unum pullum dominis dare suis obligati. Ulad. 7. art. 17.

d. 19. singulis annis duos anseres, unum videlicet tenerum ad pentecostes, et alterum antiquum in Martini festo dominis solvant. Ulad. 7. art. 19.

e. 20. item de qualibet villa usque 10. sessiones jobbagyionales continente, vel etiam minus ad festum natalis domini unum porcum saginatum, ubi vero ultra 10 fuerint, de singulis 10. sessionibus singulum unum porcum similiter saginatum dare teneantur; ceteris proventibus dominorum ultra haec dari et percipi consuetis, salvis permanentibus.

De nona, et decima jam dictum est.

SECTIO IV.

De praestationibus saponisticis.

Nomine saponisticorum proventuum in diaecesi praesertim zagrabiensi intelligi certas obventiones parocho pro ejus sustentatione, per parochianos in frumento, vino, aliisque naturalibus annue, et quidem non a personis, sed domibus tantum, proportione sessionum habita, praestari solitas, ita quidem, ut nonnullae domus quartam, aliae mediam, quin integram, ac plures etiam metretas frumenti, aliorumque naturalium parocho praestare obligentur.

Sic in exemplo in possessione Lovrenich praestationes has subsistere in 25 metr. poson. tritici, 70 mediis puri millii, 12 item curribus lignorum focalium, obligatione praeterea 12 foeni currus devehendi, aut in horum locum 12 falcatores ad defalcanda parochi foenilia praestandi, denique in aere parato 1 fl. 48 xr.

Enatis 12 in parochia hac desertis sessionibus, cum ex ejusdem proventuum conscriptione cum magistraturalis personae interventu peracta erueretur, eundem nonnisi annue 225 fl. 13½ xr. percipere, defectum praedeductarum saponisticarum praestationum per comitatum crisiensem inter reliquos incolas a proportione possessorii subdivisum esse tanto magis, quo certius est, ex ipso urbario anno 1707. confecto, parochum in perceptione harum saponisticarum obventionum ante annum decretorium 1755. praefuisse; sed neque contribuentes novo exinde onere gravari, siquidem saponistici

proventus jam ab olim sessionibus contribuentium, velut potissima parochi sustentationis pars impositi fuerint, proinde incolae illi, qui desertas idmodi sessiones cum lucro excolendas receperunt, cum iisdem onera quoque desertis ipsis inhaerentia recipere debuerint.

Quod autem sapones illos attinet, qui a desertis sessionibus communitati privative, et in concreto oblatis, non tamen acceptatis, verum per dominium possessis, parochis vi antiqui usus competunt, cum ejusmodi desertae sessiones nullo facto parochi acciderint, hic vero in congrua sua subsistentia nullatenus falcidiam pati possit, ab iliis etiam sessionibus desertis, quae tales nulla dominii terrestralis causa praecedente factae sunt, contribuentibus parochianis a proportione sessionis urbarialis, merito praestationem saponum imponi debuisse, eam tamen rationem ineundam esse, ut hae quoque desertae vel communitati, vel privatis incolis cum onere jam dicto offerantur excolendae, in quantum annum decretorium 1755. non praecessissent; negotio hoc proinde eousque donec ulterior hanc in rem per publicam legem facta fuerit provisio, in statu quo relicto.

Ex nro. locument. 5900. 20877. 1792. — aul. 3943. 12334. 1792. — nro. $\frac{\text{locum. } 7413}{\text{art. } 4255}$ 1793. —

Sectio V. Tabella praestationum urbarialium ad specificum reducta.

Sessio	Titulo vituli urbarialis	Butiri mens. poson.	Butiri	Caponum		Pullorum		Ovorum		Lignorum orgialium vel in natura	Lignorum orgialium vel in laborat. man.	Filatura vel in natura	Filatura vel in laborat. man.	long. vecturae jum.	Nonae aequivalens in laborat. manualibus	Nonae aequivalens in laborat. vel jugalibus	Aratra annua in natura	Aratra annua in defect. anim. manualibus	In locum nonae aes paratum	
	Numero		xr.	nr	xr.	nr	xr	nr.	xr	numero		libr		numero					fl.	xr
1	3	1	18	2	18	2	9	12	3	1	2	6	6	1	24	12	4	8	4	—
7/8	2 5/8	7/8	15 3/4	1 6/8	15 6/8	1 3/4	7 7/8	10 1/2	2 5/8	7/8	1 3/4	5 1/4	5 1/4	7/8	21	10 1/2	3 1/2	7	3	30
6/8	2 2/8	6/8	13 1/2	1 1/2	13 1/2	1 1/2	6 6/8	9	2 2/8	6/8	1 4/8	4 1/2	4 1/2	6/8	18	9	3	6	3	—
5/8	1 7/8	5/8	11 1/4	1 1/4	11 1/4	1 1/4	5 5/8	7 1/2	1 7/8	5/8	1 2/8	3 3/4	3 3/4	5/8	15	7 1/2	2 1/2	5	2	30
4/8	1 4/8	4/8	9	1	9	1	4 4/8	6	1 4/8	4/8	1	3	3	4/8	12	6	2	4	2	—
3/8	1 1/8	3/8	6 3/4	6/8	6 3/4	6/8	3 3/8	4 1/2	1 1/8	3/8	6/8	2 1/4	2 1/4	3/8	9	4 1/2	1 1/2	3	1	30
2/8	6/8	2/8	4 1/2	4/8	4 1/2	4/8	2 2/8	3	6/8	2/8	4/8	1 1/2	1 1/2	2/8	6	3	1	2	1	—
1/8	3/8	1/8	2 1/4	2/8	2 1/4	2/8	1 1/8	1 1/2	3/8	1/8	2/8	3/4	3/4	1/8	3	1 1/2	1/2	1	—	30

Vide pag. 236. parva decima.

CAPUT X.

De robottis.

SECTIO I.

De robottis juxta urbarium hungaricum.

ART. I.

De robottarum praestatione singula septimana semel.

Colonus integrae sessionis in hungaricis comitatibus domino suo terrestri singula hebdomade una die ab ortu solis usque ad occasum, imputato itu, et reditu (horis pabulationis, et adaquationis exceptis) suo curru, aratro, aut occa cum duobus aut quatuor jumentis (prout nimirum hactenus in usu fuit) laborare tenetur, et non licebit quatuor jugalium numerum bipartiri, et ad repetendum hac ratione biduo laborem colonum cogere, nisi negligentia aut culpa sua colonus ad defraudandum dominum terrestrem pauciora jugalia servet, vel minore pecorum numero ad robottam compareat, alterique pecus suum ex culpabili pecorum defectu conjungat.

In locum autem unius diei jugalis laboris integrae sessionis colonus non plus, quam 2 dierum manuales labores singula hebdomade domino praestare obligatur, et sic a proportione $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{4}$ et $\frac{1}{8}$ sessionis colonus; urbar. p. 3. §. 2.

ART. II.

De aratura quatuor jugalibus — ceteris laboribus bijugo perficiendis.

Ubi labor araturae secundum receptam consuetudinem 4. jugalibus perfici solet, et quis colonorum ob defectum 4. jugalium idmodi araturam peragere nequiret, poterit hanc unius diei araturam pecora sua cum alterius coloni pecoribus conjungendo per duas dies perficere, gravem nihilominus hunc laborem penes singulam araturam semel duntaxat praestare obligabitur. Si autem penes 4 jugalia una persona non sufficeret, hoc in casu colonus unam personam pro perficiendo omni labore idoneam, aliam vero nonnisi pro impellendis pecoribus aptam ea ratione statuere obligabitur, ne duae hae personae ad alios manuales labores applicentur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 16. in adnexo sub L. nro. 11.

Praeter araturam in reliquis omnibus laboribus tantum bijugalis opera urbarialiter admittitur. Ibid. cap. I. §. 3. ad p. 6. Robottae manuales a 10 xr., jugales a 20 xr. assumuntur.

ART. III.

Quot bijuga in labore juncta — totidem robottarum dies connumerandi sunt.

Ut in quovis jugali labore, habita tam distantiae, et viarum reflexione, onus et locata domino terrestri opera, proportionem bijugi virium neutiquam excedat, tali namque in casu, si colonus plura injungere necessitabitur pecora, in totidem, quot jugalia junxerit, robottas diebus connumera-

ri, et laboranti colono acceptari debet. 1775. 11. maji. Nro. 2160. Hinc suapte fluit, si duo bijuga colonus in araturam domino terrestri locet, aut quatuor jugalibus praeter operam art. 2. attactam aret, robottam hanc duorum dierum jugalium operae accensendam venire.

ART. IV.

De robotta uno pecore an perficienda, et equorum bajulorum aequiparatione.

Si domini terrestres (qui tamen robottam uno pecore perficiendam acceptare non obligantur) occasionem pro more nonnullarum partium uno pecore perfici solitam sponte acceptaverint, tunc labor hic adinstar robottae bijugo pecore peractae manualibus duabus aequiparetur. 1775. 22. juni Nro. 2877.

Relate ad equos bajulos, unus equus cum ductore pro una et media manuali, duo vero equi bajuli cum uno ductore pro una jugali opera imputentur, eo subnexo, ut ex praescripto urbarii id colonis, quod in diversoriis titulo hospitii expenderint, dominus bonificare teneatur.

ART. V.

De normativo jugalium et manualium operarum.

Quemadmodum pro plano, et pro optimo tempore normativum aliquod jugalium vecturarum per comitatus elaboratum esset, ita etiam quoad montanas, et omnis generis occurrentes vecturisationes, et manuales operas habita ad distantiam terminumque a quo ad quem, oneris item et pon-

deris, et pecorum, viarumque qualitatis, manualium item laborum, non secus ad tempus aestivale; et hyemale, aliasque eo influentes circumstantias reflexione, singula species vecturae, et manualis operae conformiter ad respectivarum partium consuetudinem juste et conscientiose limitetur, ejusdemque limitationis opus specificam circumstantiarum harum expressionem continens, altissimo loco repraesentetur, praeterea tempus quoque pro agricultura, aliisque campestribus laboribus pro ratione partium respectivarum definiatur, et hujus quoque determinatio pro ratificatione submittatur. 1777. 12. maji nro. 2526.

Generatim robottae manuales in reluitione a 10 — jugales a 20 xr. assummuntur.

ART. VI.

De numero et quantitate robottarum capacitati constitutivi extravillani correspondente.

In tabella urbariali, rubrica 6. exponatur numerus robottarum jugalium in tali quantitate, qualem calculo arithmetico reflexe et hic quoad constitutivum effert capacitas integra terrarum arabilium, et pratorum, in rubricis sub nro. 4. et 5. expressa, inclusa hic illa etiam capacitate quae competentiam constitutivi pro fundo intravillano integrae, hacque majorum et minorum a proportione sessionum urbarialiter emensi exsuperat.

Quia vero e contra juxta urbarialem dispositionem pro casu, ac conscriptus fundus intravillanus constitutivi pro sessione intravillana emensi

urbarialiter praescriptam a proportione sessionum competentiam non adaequaret, in quantum ex hac requisita competentia eidem deesset, ex fundo extravillano sessionali suppleri debet, hinc casu in tali ex capacitate fundorum extravillanorum tantundem subtrahatur, quantum nempe ad supplendam capacitatem constitutivi intravillani desideratur, et dein ex capacitate fundorum extravillanorum sessionalium remansura, calculo arithmetico numerus jugalium robottarum efformetur, hicque numerus rubricae sub nro. 6. inseratur.

In rubrica nro. 7. numerus manualium laborum exprimatur, qui ex dupplicata jugalium robotta facile prodibit.

Quoad binas vero has sub nro. 6. et 7. rubricas illud observandum erit, ut ab eo, quod colonus possidet, per b. urbarialem regulationem ordinatae robottae ad amussim exponantur, speciesque obligationis hujusce in sua debita, et proportionata quantitate exprimatur. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22.

ART. VII.

De robotta menstruali 4 dierum in continuo semel occasione ferventium laborum bis praestanda.

Colonus, qui e remotiori loco, mediae nempe diei, vel majori etiam distantia ad robottam comparere debet, semel intra mensem continuis quatuor diebus cum itu et reditu computandis in robotta seu jugali, seu manuali permanere teneatur, praevie tamen de hoc itinere, et labore, ut se parare possit, praemonendus, et in hoc casu

pecoribus aestate de sufficienti pascuo, hyeme vero tam colono quam et pecoribus de necessaria commoditate per dominum terrestrem prospiciendum erit. Urbar. p. 3. §. 3.

Et haec quatuor dierum robotta occasione ferventium laborum tempore messis, falcaturae, vinearum culturae, vel vindemiarum bis in mense (intervacua pro rustico relicta una hebdomade) repeti poterit. Ibidem §. 6.

ART. VIII.

De dupplicatis robottis occasione ferventium laborum.

Robottam seu jugalem, seu manualem coloni tempore falcaturae, messis, et vinearum culturae, vel vindemiarum occasione dupplicato, observata relate ad obtingens hebdomadale, proportione perficiant, in reliquas hebdomadas imputandam. Inquilinis a dupplicato hocce labore exemtis. Ibidem §. 5.

ART. IX.

De proportione circa exactionem robottarum.

Circa exactionem robottarum ea observetur proportio, ut ex annua competentia una adminus quartalitas pro 6 hybernalibus mensibus reservetur. Urbar. p. 3. §. 6.

ART. X.

De supererogatione robottarum.

Si supererogatio laborum culpa dominii eveniat, haec pro futuro anno dehinc imputari non potest, verum occasione investigationis, (aut com-

putus) per dominium subdito instantanee parato bonificetur, si vero culpa subditi restantia laborum urbarialium eveniat, hujus compensandae intuitu b. urbarialis regulationis praescriptum accurate observetur.

Una vero domini terrestres, eorundemque officiales moneantur, ne deinceps subditos suos extra expletam obligationem suam anticipato ad robottas compellant. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 30.

Usus est in multis dominiis, ut labores, qui ex urbariali obtingentia compleri non posse censentur, per subditos illos, qui aliis erga paratam laborare consueverunt, et quidem illam, quae ex parte comitatus limitatur mercedem, perfici soleant, casus tamen adesse, ut apud nonnullas communitates vecturis, et transennis publicis nimium gravatas evitari non possit, ut dum nonnulli ob absentiam in vecturis publicis, restantiarii quoad labores dominatui debitos manent, alii in robottis non quid supererogent, supererogationem tamen hanc cum subditi, qui competentiam suam urbarialem absolvunt, ad ulteriores labores obligari non possint, saepe judicibus, et subjudicibus imputandam venire, qui recte ideo a laboribus dominalibus immunes esse solent, ut subditelam sua serie, et justa proportione ad labores dominales compellant, ac taliter supererogationi, vel restantiis robottarum, sufficiens obex ponatur. Merces laboris idmodi generis semper solvi debet juxta limitationem comitatus, cujus activitatis, et officii est, semper visa mutationis necessitate mercedem

hanc alterare, neque stare possit in potestate, et arbitrio dominii terrestralis, determinatam per comitatum limitationem ex quo demumcunque respectu elevare, aut deprimere.

ART. XI.

De abruptione laboris qualiter in robottam imputanda.

Robottalis labor, si ob interventam pluviam, aut aliud quodpiam impedimentum peragi nequiret, pars illa diei, qua labor quidem caepit, ex praevio tamen incidenti interrumpi debuit, imputetur in robottam, si vero nihil laboravit, sed jussus tantum venit, et rediit subditus, solus itus et reditus in robottam acceptandus erit. Urbar. p. 3. §. 7.

ART. XII.

De robottarum reluitione.

Ad robottas aere parato redimendas subditi non adstringantur, quod si tamen, seu temporanea seu perpetua conventione mediante de harum redemptione cum domino terrestri pactare velint, id quidem praesente comitatus testimonio licitum esto, in priori nihilominus casu, si partium alterutra a temporaneo illo contractu recedere, et urbariali regulationi inhaerere cuperet, id ipsum uno anno prius declarari, et comitatui insinuari debebit. Urbar. p. 3. §. 10.

In reliquo colonos in censibus, et aliis solutionibus restantiarios per dominia terrestralia adigi non posse, ut ejusmodi debita praestandis ope-

ris, et laboribus per dominia limitandis seu in toto seu in parte inviti depurare debeant.

ART. XIII.

De poena ad robottam vocati non comparentis.

Colonus ad robottam vocatus culpa vel ob negligentiam suam haud comparens 12. baculis afficiatur.

ART. XIV.

De laboribus erga mercedem dominio praestandis.

Colonus erga paratam mercedem alteri laborare volens, laborem ejusmodi erga eandem mercedem instantanee parato exolvendam domino suo praeferenter praestet. Urbar. p. 3. §. 9. Merces autem potest aut libere pactari, aut vero in casibus de lege communi comitatus limitationi subjectis per comitatum limitari.

ART. XV.

De itu ad robottam, et ex eadem reditu, tabellisque distantiarum.

Itui ad robottam, et ex eadem reditui in unius vel ad summum semialterius horae distantia, mensibus novembri, decembri, januario, et februario, crepuscula matutinum et vespertinum ita deserviant, ut domino terrestri a solis ortu usque occasum realis labor perficiatur, aliis vero mensibus tam itus quam reditus in ipsam robottam a solis ortu usque occasum praestandam imputetur. Urbar. p. 3. §. 4.

Quaestionem circa itus et reditus imputationem, dominium inter et subditum nefors oritu-

ram, comitatus ipse, habita distantiae reflexione, decidendam habet. Ibid. §. 2.

Tabellae distantiarum pro singulo dominio relate duntaxat ad itum et reditum pro perficiendis laboribus dominalibus impendendum, per publicum in concursu dominiorum, atque habita reflexione ad localia adjuncta elaborari, dominiisque pro observantia et directione extradari solent.

Ad antevertendas, quae hactenus intuitu robottarum acceptationis occurrerunt querimonias, ut certa quaepiam, et stabilis norma pro directione tam dominalis officiolatus, quam et subditelae in acceptandis urbarialibus robottis defigatur, atque una tabella stationum relate ad distantias locorum elaboretur, jam dudum benignae resolutiones regiae debitam fecerunt provisionem, ope cujus objectum hoc in sede dominali elaborandum, et in sedria revidendum esse praecipitur.

Pro exemplo subserviat decisum sedis dominalis in oppido Gedellö in comitatu Pest, ad principem Grassalkovics spectante anno 1802. latum; quo mediante statutum est, ut cum statio quaevis, horsum non imputata, in appositione oneris, et pabulatione impendenda mora, tribus horis commode perfici possit, tam vectura quaevis, quam et itus et reditus pro robotta (excepto tamen casu illo, si sub ipsa transpositione via per repentinam remissionem temporis, aut intervenientes imbres ad statum fere impracticabilem poneretur) sequenti modalitate acceptentur, et quidem

Gedellöiensibus.

Pro vectura ligni ex sylvis praedii Besnyö mo-

derna quippe sectione ad depositorium gedellöiense, inclusa oneratione, et depositione oneris, pro singula transpositione mensibus hibernis robotta jugalis media, aestivis vero mensibus una tertia,

Pro vectura ligni ex sectione kerepessiensi, aut phasianeto, frugum item et aliorum effectuum Pestinum transpositione, aut abinde fienda devectione, praeter impendendam ultra consuetum pabulationis duarum horarum tempus moram in hieme robotta jugalis $1\frac{1}{4}$, in aestate vero una.

Ad Hatvan, pro itu et reditu in aestate una, in hieme una et media dies, medietas porro competentiae hujus ad Bágh, et Hévéz Györk, seu in hieme $\frac{3}{4}$ — in aestate vero $\frac{1}{2}$ dies.

Ad Zsido et Mácsa pro itu, et reditu in aestate dies media, in hieme dies una.

Ad Szöd, si quampiam vecturam eorsum fieri contingeret, aut laboratores ex Szöd ad Gedellö disponerentur, in aestate pro itu et reditu diei $\frac{3}{4}$, in hieme autem dies una,

Vacium, et ad Soroksár vectura, itus, item reditus, prout Pestinum acceptetur.

Ad Kakuts in hieme dies tres, in aestate vero duae.

Ad Eörkény porro in hieme pro itu et reditu dies $3\frac{1}{2}$, in aestate $2\frac{1}{4}$.

Demum ad Tatár — Sz. György, et Szabadréth pro itu et reditu in hieme dies 4 — in aestate autem $2\frac{1}{2}$ acceptentur.

Ad Kartal, et Dány in hieme pro itu et reditu dies una, in aestate $\frac{3}{4}$.

Ad Csömör, et Sz. Miklos in hieme dies

una, in aestate media, oneris appositione, et depositione si illud tempus pabulationis excederet, distinctim imputanda.

Ad Issaszegh, et Kerepess pro itu semialtera hora, et tantundem pro reditu, oneris appositione et depositione aeque distinctim imputanda.

Cum porro intra terrenum quoque oppidi Gedellö adsint in majori distantia tenuta dominalia, ad quae pro labore dominali comparentes subditi Gedellöienses imputationem pro itu et reditu juste merentur, hinc horum quoque intuitu constituitur, ut aestivis mensibus ad prata penes molas dominales sita, ita et ad praedium Babath, et Besnyö pro itu media hora, et tantundem pro reditu, ad Egerszegh porro pro labore constituendis pro itu una, et pro reditu aeque una hora acceptetur.

Ex Soroksár, Csömör, et Dunakesz Pestinum in aestate dies media, in hieme dies una pro itu, et reditu,

Ex Vecsés, Ecser, Szöd, Sz. Miklos, et Kerepess, Pestinum in aestate $\frac{3}{4}$, in hieme $1\frac{1}{2}$, dies,

Ex Issaszegh, inclusis etiam sylvis tapio-szent- györgyiensibus Pestinum pro itu, et reditu mensibus aestivis dies una, hibernis $1\frac{1}{2}$.

Ex Dány Pestinum aestate dies $1\frac{1}{2}$ — hieme vero duae pro itu et reditu,

Ex Zsido et Mácsa Pestinum aestate pro itu et reditu $1\frac{1}{4}$, hieme 2 dies.

Ex Ecser, Vecsés, Soroksár ad Eör-

kény, Tatár-Sz. György — aut Szabadréth aestate dies $1\frac{1}{2}$, hieme vero $2\frac{1}{2}$ pro itu et reditu acceptentur.

Ex sylva zsidensi ad Szöd — rakosiense depositorium pro itu et reditu hieme dies $1\frac{1}{4}$ — aestate inclusa oneris appositione, et depositione, dies una.

Ex sylva ecskendiensi per Mácsam ad idem depositorium Szöd-rakosiense aestate dies una, hieme $1\frac{1}{4}$ aeque imputata oneratione.

Ex Kartal ad idem depositorium praemissa modalitate dies $1\frac{1}{2}$ aestate — hieme autem dies duae.

Quoad residuas porro inter gremialia dominii hujus loca occurrentes seu vecturas, seu itus et reditus acceptationes illud observetur, ut prout initio attactum est, pro singula statione tres horae pro itu, et totidem pro reditu acceptentur, istudve ad competentiam diei aestivis mensibus ab ortu ad occasum computandam imputetur; hibernis autem mensibus, utpote novembri, decembri, januario, et februario, siquidem ex dispositione urbarii itus et reditus ante ortum et post occasum ad distantiam mediae secundae ad summum horae ita accommodari disponatur, ut tota dies labori dominali, absque ulla itus et reditus imputatione impendatur, nonnisi illud, quod praemissam semialterius horae distantiam excederet, ad competentiam imputaretur, et ex hac ratione.

H. Györkiensibus et baghiensibus ad Kartal in aestate $\frac{3}{4}$ horae, in hibernis mensibus nihil.

Zsidensibus, et ujfalusiensibus Mássam aestate media hora — hieme nihil.

Dunakesziensibus ad Szöd aestate horae duae, hieme media.

Sz. Miklossiensibus demum aeque ad Szöd aestate semi altera hora, hieme nihil acceptabitur.

Quoad impositionem oneris id pro norma observandum, ut mensibus aestivis ex naturalibus et quidem frugibus autumnalibus horsum intellecto etiam fagopiro, M. P. 20. vernalibus autem 24. hibernis vero praecise dum via mala est, ex autumnalibus M. P. 16. ex vernalibus 20. de cetero autem seu aestivo, seu hiberno tempore calcis M. P. 16. — lignorum orgia $\frac{1}{3}$ — vini ad summum urnae 12. quadrijugo superimponantur, et a proportione oneris hujus vecturae acceptentur. Incumbet porro subditelae onus praescriptum non modo integre ad locum destinatum deferre, sed et quoties necessitas dominii exegerit, aliud rursus abinde reportare.

Quod demum ligni orgialis fissionem attinet; cum haec ex dispositione urbarii p. 3. §. 13. absque imputatione itus et reditus ad manuales duas reducta sit, si subditos quospiam dominales in alterius districtus sylvis, aut majori in districtu distantia ligna orgialia ex robotta urbariali findere contigerit, praeter praemissos dies itus quoque et reditus acceptari debebit.

ART. XVI.
De computu laborum.

Ad antevertendam omnem relate ad robottarum imputationem, intervenire queuntem aberrationem debent officiales dominales vel ope dicae, vel per sigilla super praestitis tam manualibus quam currulibus operis singulo vespere, aut cum fine hebdomadae quietare, et circa anni exitum coram judice nobilium et jurassore computum inire. In majoribus dominiis, alioquin accurata robottarum praenotatione dominali officiolatui districtim injungenda, solent adhuc etiam super qualibet robotta respectivis colonis impressam schaedam consignare. Hinc et inde dispositum est, ut in locum schaedae respectivis robottantibus singulo die extradari solitae, libellis eorundem labor sub onere responsionis ipsum officiolatum mansuro inseratur, singuloque trimestri praesente loci notario, ac judice eatenus computus ineatur. Ad computum robottarum praesentiam fisci magistratualis nec b. urbarium, nec ulla resolutio demandat; si tamen adjuncta localia, et correlationum turbatae vicissitudines praesentiam ejusdem demandent, comparentem, cum alioquin de officio subditelae assistat, ab influxu nemo impedire potest.

ART. XVII.
De robottis inquilinorum et subinquilinorum, eorundemque tractamento.

Instr. exeq. mag. cap. V. §. 22. disponit, quod labor pro inquilinis, et quidem pro singulo in 18. diebus, proque subinquilinis, et quidem horum

singulo in 12. diebus emensus non ad rubricam jugalium laborum, ad quos nulla unquam ratione adigendi erunt, verum ad rubricam pro manualibus robottis sub nro. 7. destinatam inseratur.

Urbarium p. 3. §. 8. — Inquilinus dimiciliatus, propriam domum habens 18. — subinquilinus vero (id est non domiciliatus) 12. diebus per annum manuali labore servire obligatur.

Si inquilini in una inquilinaria domo plures habitent, pro casu hoc examinandum est, qui ex his distincto pane et foco utuntur, ut horum singulus separata serie inter inquilinos inscribatur, singuloque obvenientes inquilino urbarialiter impositae robottae et census exponantur. Si vero plures eodem foco et victu utuntur, in serie quidem inscriptionis separatim inserantur, robottae interim et census insimul contractis exponantur, et quidem non plures, quam uni inquilino urbarialiter competunt, in finem uberioris puncti hujus claritatis tamen eo per expressum declarato, ut quamprimum quis apud alium seu colonum seu inquilinum habitat, etiamsi distincto foco et pane utatur, pro subinquilino censeri debeat.

Subditus autem senio confectus, oeconomiamque filio resignans, si cum eodem in uno pane subsistat, in qualitate extranei inquilini distincta solutione haud gravetur, nihilominus si etiam eadem cum filio mensa uteretur, si tamen partem proventus reservasset, in casu isto tanquam subinquilinus habeatur. Quemadmodum et filius familias etiam uxoratus, si in eodem cum patre pane vivat, a distincta solutione exemptus sit, si tamen

pater partem oeconomiae sibi reservaret, et separata a filio mensa uteretur, aut vero si in distincta a filio domo habitaret, tunc a proportione retenti appertinentiarum beneficii considerari, aut sine appertinentiis constitutus, velut inquilinus tractari debet. Instr. exeq. mag. cap. 2 §. 5. et 6.

Si inquilini, vel etiam coloni fundos quospiam quantitatem octavalis sessionis non adaequantes possiderent, ex ejusmodi fundis solum nonam vel in natura vel in aequivalenti (prout nimirum haec ubi introducta est) praestandam habebunt, respectu reliquarum datiarum, et praestationum autem qua inquilini domiciliati considerandi, et tractandi erunt. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 15. in adnexo sub L. et nro. 11

Literarum dominalium deportatio in robottam imputanda. Urbar. p. 3. §. 15.

ART. XVIII.

De robottis urbarialibus a contractualibus separandis.

Robottae urbariales a contractualibus distincte sunt separandae, distinctimque connotandae, quo fine stipulandae pro terris dominalibus contractuales robottae praevie in scriptum redigendae, ut ineundus eatenus scriptus contractus praescripto modo authentiam et robur suum recipiat.

ART. XIX.

De aversionalibns robottis.

Si id observetur, quod diversi labores aversionaliter subditis imponi soleant, ita quidem ut non habita ratione, an idmodi labor intra diem, vel intra praedefinitum tempus per defixum ro-

bottarum numerum effective absolvi possit? et ideo aversionalis merces iisdem subditis dependatur, pro futuro omnes aversionales labores in sensu praeexistentium normalium resolutionum simpliciter interdicendi sunt, salvis ceteroquin inter dominia, et subditos hactenus initis, aut praescripta modalitate ineundis, et solennisàndis conventionibus.

ART. XX.

De hebdomadariis laboratoribus.

Olim, praesertim in comitatu Bihar in usu fuit, ut domini terrestres 50. et plures colonos habentes, unum hebdomadarium alternatim per colonos praestandum pro toto anno — reliqui vero adminus 25 colonos tenentes, a 1. novembris usque finem martii ejusmodi hebdomadarios exigere potuerint, sed anno 1759. mense aprili nro. 53. statutum, praestationem hanc nonnisi cum imputatione ad praescriptam robottarum obligationem admittendam esse.

ART. XXI.

De laboratoribus supernumerariis.

Ut dominia terrestralia pro cinosura habeant, quod supernumerarii laboratores velut in re urbariali nullum locum habentes, nec contractus urbariales ingredi, minus vero clam exigi possint; et si qui domini terrestres nefors sic dictos supernumerarios laboratores jam contractualiter exegissent, tales operas in sortem, et numerum robottarum urbarialium inomisse imputare teneantur. Fundatur etiam in parte jam anno 1755. sub regi-

mine Mariae Theresiae emanata b. resolutione regia, nro. aul. 293. signata, (benignae manuales anno eodem) isti supernumerarii laboratores, quorum opera potissimum antea in conventione, aut usu radicabatur, notabantur olim in Croatia nomine hauriga.

ART. XXII.

De robottis juxta tabellas urbariales adprobatas desummendis.

Generatim sciendum, quod robottae non exspectata tabellarum urbarialium post dimensionem efformatarum approbatione, per dominium juxta eas exactae, colonis ultra approbatas priores tabellas bonificandae sint, in spiritu enim b. resolutionum regiarum cuncti processus regulatorii urbariales, quibus acta dimensionalia, et combinatoria tam antiqui, quam et recentioris desiderati subditelae tractamenti instrumenta accludi debent, altissimae inspectioni et decisioni substernendi sunt.

ART. XXIII.

De contrachonibus an robottis subjiciendis?

Cum contrachones in pluribus locis praeter servitium regium in fundo dominali nihil possideant, et subalterni regiorum salis officiorum pro personis suis dominio nullatenus obstricti esse videantur, hinc quaestio illa, an nempe iisdem 12. manualium robottarum onus, aut reluitio a 30 xr. imponi possit, eo decisa fuit, quod quamvis jus dominale in omnes fundos juri dominali subjectos, incolentes, sive nobiles sint, sive ignobiles, regulatio urbarialis per Theresianam resolutionem

introducta, et novellari lege provisorie ratihabita definiverit, eo tamen non obstante, juxta positivam altissimam resolutionem regiam nro. 1119. aul. 1808. casu hoc ad dispositionem urbarialis puncti de praestatione subinquilinorum sonantis pertrahi nequeunte, antelatos contrachones ad robottas attrahi non posse — praestandarum per contrachones operarum juxta resolutionem nro. aul. 4710. 1811. fixo quopiam moderato pretio, reluitio locum habeat.

Anno 1812. ad nrum. aul. 6760. comitatus Bihar eo inviatus est, ut salis obequitatores contrachones, hisque associatos volones in ejus gremio existentes, quorum numerus relate ad annum 1784. nunc minor est, et qui pro stabili haud determinari potest, reflexe ad onera publica eadem prorsus, ac pari modalitate tractentur, quae intuitu aliorum apud dominos terrestres servientium individuorum, ac contribuentium usu venit, concernente salis officio eam alioquin inviationem accepturo, ut ad tollendos omnes abusus talismodi individua nominetenus comitatui ex officio semper indicentur.

Quantum autem attinet ad praestationes urbariales individuis his incumbentes, comitatui injungi, ut omnimode adnitatur, quo penes efficacem cooperationem publici mutua inter individua haec salinaria, et concernentia dominia terrestralia seu per reluendas moderato pretio robottas, seu alia ratione incunda conventio facilitetur. Nro. 12553. 1806. 849. 1807. 2516. 1808.

ART. XXIV.

De excessibus in robottis.

Generatim ob robottas a colonis indebite exactas iisdem competens bonificatio praestari debet, dominium autem praeter hanc bonificationem insuper actione fisci coram sedria conveniendum, et poena reatui commensuranda afficiendum est. Nro. aul. 5963. 1784.

ART. XXV.

De vectura longa.

Vecturam longam praeter ordinarias urbariales robottas coloni singulis annis unam praestare tenentur, relate ad quam observandum;

1. Quatuor integrae sessionis, et ita a proportione plures etiam minoris classis coloni conjunctim, aut modalitate, qua ipsi inter se convenerint, unum currum quadrijugum praestabunt.

2. Commodo itinere peragatur, et duarum dierum distantiam ordinario cursu eundo non excedat.

3. Tempore araturae, messis, falcaturae, et vindemiarum non exigatur.

4. In sequentem annum differri, vel aere parato, aut aliis praestationibus redimi, aliove labore commutari nequit.

5. Si vectura haec ex quopiam improviso incidenti, duos dies illuc eundo excesserit, aut in reditu currus per dominium oneretur, tam superflui illi dies, quam ipse etiam reditus ad robottam imputandi erunt.

6. In via nauli, teloniorum, tricesimarum,

vectigalium, hospitiorum expensas dominium ferre teneatur. Urbar. p. 3. §. 12.

Ad vecturam pro pretio praestandam subditi non cogantur, verum ad libitum cum iisdem conveniatur. Urb. p. 3. §. 16.

Vecturae aliae praeter in urbario declaratas, extra robottam non praestandae. Urb. p. 3. §. 15.

ART. XXVI.

De frugum allodialium convectione.

Frugum allodialium convectio debet in urbarialem robottam imputari, quod tamen colonus titulo nonae in natura locum habentis aut juris montani praestat, debet citra imputationes in robottas ad loca in districtu procreationis per dominium defixa devehere. Urb. p. 3. §. 15.

ART. XXVII.

De praejuncturis, et ceteris laboribus.

Praejuncturae et vecturae seu in privatis dominii terrestris, aut ejusdem officialis, seu publicis dominii negotiis per subditos praestandae, prout et literarum deportatio, ac alius cuiuscunque generis labor rusticorum (praeter illa, quae in urbario declarantur) in robottam semper imputari debent. Urbar. p. 3. §. 15.

ART. XXVIII.

De aratura cum occatione juncta.

Anno 1781, nro. 4799. dispositum, ne domini terrestres in aggravium plebis araturam cum occatione confundant, verum illam urbario ad certum numerum reductam et plene definitam in confor-

mitate urbarii, hanc vero uti alias jugales operas in computum laborum imputent, in quantum autem ejusmodi occatio hucdum haud imputata haberetur eadem concernentibus colonis pro praeterito bonificetur, unaque cum eo, quod interest juxta subsecutas b. resolutiones regias bonificatio haec locum obtineat.

SECTIO II.

De robottis in Banatu.

ART. I.

De robottarum praestatione, et tabella.

Colonis in banatu a respectu constitutivi fertilitatis terreni juxta cap. I. §. 1. et utilitate distractionis productorum, ceterisque beneficiis in 3 classes relate ad praestationes subdivisis — iidem quoad robottas tam in natura in parte praestandas, quam in parte pro reluitione admissas juxta adnexam tabellam pariter in 3 classes divisi.

Manualis opera in 10 xr., jugalis in 20 xr. defigitur. Quamvis tam dominium quam et subditi tabellae huic in praestatione robottae semet conformare debeant, libera tamen est parti utrique eatenus legalis conventio. Robottarum reluitionales pecuniae alia rata medietate festo Georgii, alia Michaelis solvendae, cap. IV. §. 1. Porro domiciliatus inquilinus praestat robottas in natura, non domiciliatus in pecunia. Quaelibet robotta juxta §. 2. cum imputatione itus, et reditus durat ab ortu solis usque occasum, excepto tempore pabulationi et adaquationi necessario. Non est li-

citum robottalem diem subdividere, et colonum duorum dierum jactura gravare, nisi propria culpa, vel neglegentia tardius compareret, et dominio poenaliter damnum inferret. Si colonus ex uno loco in alium laboris causa trahitur, itus et reditus debet in tempus robottae imputari.

Tabella praestationum robottalium in Banatu cap. IV.

Sessiones.	Classes.	Praestatio operarum manualium.	In natura.	Pro reluitione.	per 10 xr. computatae faciunt.
Integrae	I.	104	45½	58½	9 fl. 45 xr.
—	II.	78	35½	42½	7 - 5 -
—	III.	62	29½	33	5 - 30 -
Mediae	I.	58	27	31	5 - 10 -
—	II.	43½	21	22½	3 - 45 -
—	III.	35	17	18	3 - -
Quartalista	I.	34	18	16	2 - 40 -
—	II.	25½	14	11½	1 - 55 -
—	III.	20½	11½	9	1 - 30 -
Octavalista	I.	21½	21½	—	—
—	II.	16	16	—	—
—	III.	13	13	—	—
domiciliat. Inquilinus.	—	8	8	—	—
Non domiciliatus.	—	6	—	6	1 fl.

NB. Fractiones, quae prodirent, sunt secus emolumento colonis.

ART. II.

De itu et reditu.

Quaestionem circa quantum temporis in itu et reditu in horas robottales imputandi nefors dominium inter et colonum orituram, per comitatum decidendam venire, prout jam dictum.

ART. III.

De bijugali, et quadrijugali labore.

Omnes jugales labores tantum duobus jumentis praestantur, praeter araturam, ubi quatuor injunguntur, si dominium plura jumenta injungi desideraret, debent 2 jumenta, velut separata jugalis robotta computari et colono bonificari.

ART. IV.

De robottis ad remotiora loca praestandis.

Dum in remotioribus locis ad medii diei, et ultra distantiam a domicilio robottantium sitis dominium de jure robottas exigit, sequentia sunt observanda. 1. Id ipsum colono praevie dicendum fine directionis suae. 2. robottae tales non pluries quam semel per mensem, et cum imputatione itus et reditus non plures, quam per quatuor sibi succedentes dies impendantur, procuratione pascui aestate pro pecoribus taliter robottantium, et hyeme sicci receptaculi dominio incumbente.

ART. V.

De dupplicatione laboris per septimanam.

Occasione messis, foenisecii, et vindemiarum dominium anticipare potest robottas, ita tamen, ut robotta per septimanam dupplicetur, et

colono id ipsum pro secunda imputetur; porro in tali casu **integrae** sessionis colonus duas manuales et unam jugalem, **mediae** unam jugalem, et unam manualem, **quartalista**, et **octavalista unam** jugalem, et duas manuales praestant, secunda autem septimana ex integro liberi sunt, idque tantum de localibus colonis intelligendum, domiciliati et non domiciliati si nolint proprio motu has dupplicatas robottas praestare, eo cogi non possunt.

ART. VI.

De robotta menstruali per 4 dies.

Quod remotiores colonos concernit, ita ut media die vel plus ad locum robottae eundo indigerent, tunc coloni hi occasione praedictorum ferventium laborum menstrue praestant bis per quatuor dies, incluso itu et reditu, ita quidem, ut una septimana 4 dies praestentur, subsequa septimana colono libera sit, et tertia septimana iterum quatuor dies cum imputatione ad ceteras septimanas praestentur.

ART. VII.

De interruptione laborum, et exactione.

Generatim ad minimum quarta pars obligationum robottalium ad sex menses hiemales reservetur, quoad interruptas, aut ex variis incidentibus impeditas robottas, nec non praestandos erga mercedem prae extraneis domino labores, idem tenendum, quod in hungarico dictum.

ART. VIII.

De distantia, et aequiparatione bijugi vel quadrijugi cum manualibus robottis in comitatu Temes.

Ductu b. urbarii banatici sectione IV. §. 2. p. 4, pro adaequata observantia praescriptum est,

ut currus bijugus 5 cubulis frugum onerandus meliori via ad summum ad 6 milliaria — pejori vero via nonnisi ad 3 milliaria duabus manualibus, currus vero quadrijugus 10 cubulis onerandus ad similem habita aeque viarum ratione distantiam 4 manualibus robottis bonificetur.

Longiori vero vectura alioquin simpliciter interdicta, et a libera colonorum voluntate pendente, ad specialem cum colonis ineundam conventionem relegata.

ART. IX.

De tractamento mercatorum et opificum relate ad robottas.

Mercatores in Banatu, juxta banaticum urbarium cap. IV. §. 1. qui ordinarium in locis exercent commercium, et fornices habent, admittitur iisdem, ut etiam illas robottas, quae juxta tabellam robottarum (sect. eadem art. I. attactam) a fundis ad illorum sessiones pertinentibus praestari debent, juxta defixum calculum in pecunia reluere possint.

A commercio tamen obvenientem censum juxta adnexam classificationem solvere debent, nisi aliter cum dominio contractualiter convenissent.

Professionistae autem, qui nullos fundos sed tantum domos possident, possunt ad facilitandum opificium robottales dies in tabella pro domiciliatis inquilinis expositos in pecunia pariter reluere, nisi easdem ipsi in natura praestare exoptarent.

A majoribus opificiis dominio integrum esto, praestationem, eorundem extensioni commensuratam, juxta tamen praeviam conventionem exigendi jus.

Provocata census tabella pro mercatoribus defixa.

I. Classis: Huc spectant, qui cum sericeis mercibus, pannis tam melioris quam et mediocris qualitatis, nec non materialibus Specereywaaren dictis commercium exercent; suos articulos ex fabricis, depositoriis, vel prima manu trahunt. Solvunt dominio annue 20 florenos.

II. Classis: Qui cum crudioribus mercibus et minoris momenti articulis, et in locis non ad capitalem viam sitis commercium exercent, proin minus distrahunt, et nundinas frequentant. Solvunt annue 15 fl.

III. Classis: Minoris momenti quaestores in pagis fornices habentes, atque articulos suos ab intraregnanis mercatoribus fine distractionis trahentes, solvunt 10 fl.

IV. Classis: Circumforanei quaestores nullo stabili fornice provisi, merces unice in annualibus, et hebdomadalibus nundinis vendentes solvunt 3 fl.

Sessionalis florenus taxis ab opificio, et mercatura expositis jam inclusus intelligitur.

Quoad mercatores, et opifices in Hungaria.

Opifices colonicalem, vel inquilinarium aut subinquilinarium statum subeuntes, ut alii rurales tractandi sunt.

Quos vero opifices, aut mercatores dominium ad suos curiales fundos illocat, et domos fornicesque pro eis exstrui curat, aut aedificare indulget, liberum sit dominio cum talibus conventionem ratione census ex mutua coalitione constituendi inire. 1784. 15. januar.

Quemadmodum commune bonum exposceret, ut ubique necessarii opifices, ac professionistae inducantur, et illocentur, neve tales ab incumbentibus opificiorum suorum occupationibus avocentur, ac ceteroquin recto ordini contrarium esset, ut talismodi homines cum opificii sui sensibili detrimento ad robottarum praestationem adigantur, ita pro futuro observetur, quo ejusmodi opificibus, et professionistis vel libertas maneat sibi incumbentes robottas parato aere redimendi, et eatenus cum dominio conveniendi. quo in casu robottarum redemptionales contractus ineundi et tales ad exigentiam b. praescripti altioribus locis repraesentandi erunt, vel vero iisdem admissum sit, proprios suos servos, aut vero etiam pro mercede conductos homines pro robottis in natura praestandis statuere et exmittere (vide part. III.).

SECTIO III.

De venatione urbariali triduana.

Venatio urbarialis ordinata ad extirpandas feras rapaces cum dominali plumbo, et pulvere pirio durat per tres dies, haec non potest relui, aut in alium laborem commutari. Urb. p. 3. §. 17.

Quaestio, an venatio urbarialis relui possit, si id ipsum coloni velint?

Momenta in contrarium.

1. Quod b. urbarii p. 3. §. 17. diserte id statuat, quod praevium venationis obligamen nec in aliam servitii speciem immutari, nec per subditos aere, vel naturalibus redimi possit.

2. Quod venationes hae ex ratione publica suscipiantur; proinde non qua obligationes erga dominium terrestrale, sed erga publicum considerandae veniant, quodve dominia ex hoc respectu nec praetensionem ad obligationes has in commodum convertendas formare possint, eo minus quod pro suppeditatione pulverum, et plumbi fructu trajectorum animantium indemnisentur.

3. Quod commune aggravium contribuentium per admittendam spontaneam licet reluitionem obligationis hujus vel exinde praemetuendum esset, quod utique vix aliquis dominorum terrestrium campo aut sylvis ferarum capacibus, et ad venandum aptis provisorum comperiatur, qui non ad minus circulatorem, aut venatorem aleret, per quem his omnibus titulus procurandae sibi a subditis suis benevolae reluitionis nasceretur.

4. Quod frequentes casus sese offerant, ut colonus dupplici quoque praestationis hujus oneri subjiciatur, cum certum sit, persaepe ab ipsis etiam communitatibus persecutionem et venationem rapacium ferarum, si hae in nonnullis peripheriis invalescant, publica determinatione mediante ordinari, ad quam cum omnes indiscriminatim coloni intervenire debeant, illos utique etiam subditos onus hoc secundo contingeret, qui hanc suam obligationem jam alia robottae specie dominio addicta explevere.

Momenta pro affirmativa: B. resolutione Regia nro. aul. 6147. 22. juni 1804. reluitio venationis urbarialis admissa est relate ad possessionem Zajeczfalu, et alia b. resolutione sub nro. 9966. 1804. 19. decembris quoad Sirovnicza in comitatu Castriferrei conformiter.

In casibus, ubi venationes exercentur, et ubi coloni sponte propria in locum venationis praestandae, alios domi pro parte dominii peragendos labores eadem mensura in se assummunt, dominium autem talismodi labores acceptando, onus venationis colonis incumbens pro parte illorum propriis hominibus, et venatoribus expleri curat, spontanea venaticorum laborum reluitio, seu in alias operas transmutatio eo magis locum habere potest, quod hac ratione si videlicet per proprios dominales sylvanos aut venatores ad scopum, quem urbarium causa publici etiam intendebat, aliunde magis qualificatos venatio realiter exerceatur, et finis extirpandarum ferarum nocivarum si non certius, aequaliter tamen obtineatur, et colono-

rum etiam alleviamini per id consulatur, quod eorum, si in sylvis dominalibus praescriptum triduum expleant, intertentio et gravior, et sumptuosior evadere debeat, quam si consuetos dominales labores propius perficiant, ex quibus quotidie ad propria reverti possint.

Si vero spectetur textus urbarii, qui disponit, quod labores per colonum pro venatione praestandi, nec in aliam servitii speciem immutari, nec per subditum aere, vel naturalibus redimi possint, suapte consequitur, illum esse verum dispositionis hujus spiritum, ne laboratores venatici ad extirpationem nocivarum ferarum destinati, ab hac sui destinatione per dominium subtrahantur, et in aliam servitutis, seu operarum speciem impendendi ordinentur, voluit itaque urbarium pro extirpandis nocivis feris venationes realiter exerceri, et simul impediri, ne coloni hoc titulo seu ad alia servitia inviti adstringi, seu etiam ubi venationes in usu non sunt, titulo redimendae praescitae obligationis quidpiam per dominia a colonis desummi possit; stante jam hoc, si colonus obligationis sibi incumbentis conscius domino terrestri aliam sibi minus molestam servitii speciem in locum venationis sponte offerat, et dominus terrestris talem oblationem acceptando per proprios in conventione constitutos sylvanos, et venatores coloni obligationem effective suppleri procuret, perviderí non potest, quo ex fundamento ejusdem substitutio difficultari deberet, cum et colono in locum sui alium quempiam pro venatione statuere integrum sit, dum proinde do-

minium ad desideria communitatis in locum venationis alias ordinarias operas explere praeoptantis accedit, et pro admissa hac communitati venationem in natura explendi immunitate, plures ac secus necesse haberet, conventionatos sylvanos, aut venatores ad servitium assummit, ac intertenet, justum omnino videretur, ut parte ex alia expensae, et intertentionales sumptus in plures ejusmodi conventionatos necessario erogandi domino terrestri compensentur, et si id per alios ordinarios labores praestetur, reluitio haec respectu coloni eidem gravis accidere nequit. Porro quod concursus colonorum pro venatione causa tantum publici, neutiquam autem dominalis proventus gratia ex urbario praescriptus habeatur, possibilem reluitionis in prioribus circumscriptae modum plane non excludit, praeprimis enim illud, quod obligatio coloni pro venatione comparendi proventum dominalem non constituat, ita prout in thesi praetenditur, ex toto non subsistere videtur, quia quod per venationem urbarialem prosperatur, id communiter domino terrestri in beneficium cedit, et quod exinde supputatis supputandis utilitas quaepiam resultare possit, innegabile est, unde jam suapte patet, quod venatio urbarialis, causa duntaxat publici instituta non sit, sed servitus haec ex urbario colono incumbens, et non ubicunque sed in proprio domini terrestris sui territorio explenda dupplici ex fonte repetenda sit, eo videlicet, ut per extirpationem ferarum nocivarum damna et colonis et dominiis causari solita praecaveantur, ita et exercitium ju-

ris venationis ex lege dominiis competentis gratuito colonorum triduano concursu facilitetur, et adjuvetur, prout itaque gratuitum hoc exercendae venationis adjutorium parte ex una exigi, et parte ex alia conformiter ad urbarium per colonos praestari debet, ita nil obstare videtur, quin ejusmodi adjutorium praeoptantibus id ipsum colonis in aliam laboris speciem transmutetur, si tamen, penes id alteri etiam causa publici subversanti scopo ex parte dominiorum plene satisfiat, seu quod idem est, si videlicet dominia per proprios homines extirpationem ferarum nocivarum omnino realiter procurent, consideratio demum illa, quod casus dari possint, ut admissa venationis reluitione coloni dupplex sentiant aggravium, si videlicet semel obligationem suam erga dominium reluant, expost autem casu necessitatis ferente per comitatum ex ratione publici, ad explendam in natura persecutionem ferarum nocivarum adstringantur, essentialem quampiam in respectu reluitionis difficultatem eo minus subinferri posse, quod certum sit, in casu etiam illo, ubi coloni urbarialem venationem dominio in natura praestant, concernenti comitatus jurisdictioni semper in salvo relictum esse, ut deposcente publici ratione et necessitate, illa quoque loca, quae jam urbarialem venationem seu explevere seu explere debebant, ad similes ex publico decerni consvetas ferarum persecutiones in medium concurrere obligentur.

Positiva h. resolutione mediante ad nros. $\frac{3942}{9461}$

aul. anni 1806. emanata decisum est, quod venetio urbarialis nullo sub praetextu reluitioni sit obnoxia; atque huic b. resolutioni innituntur cuncti casus subseque conformiter decisi.

SECTIO IV.

De restantiis obtingentiarum colonicalium, et executione.

Restantiae praestationum, datiarum item et servitutum etiam medio executionis vindicantur, urbar. p. 9. §. 6. Executionalis autem grossus per subditos illis tantum executoribus dependatur, qui pro executione realium restantiarum exmittuntur. Ibid. secus praeter hunc grossum executoribus dominalibus nihil aliud praestandum. Urbar. p. 7. §. 11.

Grossus isthic urbarialiter admissus illo sensu intelligatur, quod non a singulo restantiario dietim competat, verum tot grossi, quot necessarii numero executores ad incassandas reales restantias, in loco operantur, per concernentes restantiarios dependi debeant. Instr. exeq. mag. cap. V. §. 30.

Quoad restantias porro apud contribuentem plebem usque diem publicationis urbarialis haerentes eo peculiariter attendendum, invigilandumque erit, ne hujusmodi restantiae magis accumulentur, et cum obventionibus ex moderna urbariali regulatione competentibus confundantur, verum effectiva earum depuratio ad summum intra 6—7— aut octo angaricales terminos procuretur. Idcirco hac statim occasione exequentes magistratuales per dominos terrestres, aut eorundem officiales istius-

modi liquidarum restantiarum seriem scripto exhiberi faciant, interque hos, ac subditos sufficienter idcirco auditos, justum et accuratum computum ineant, et quaeque ex his, pro legitimis et fundatis comprobabuntur, istas specifice, et accurate connotent, et reflexe ad restantium subditorum capacitatis statum intuitu exolutionis tot angaricales terminos, non tamen ultra 8. angarias extendendos constituant, intra quos terminos absque enervatione contribuentium restantiae depurari valeant, constitutique hi termini in illa connotatione peraeque exprimantur, ista denique connotatio in duobus exemplaribus, subscriptione et sigillo exequentium roborandis expediatur, exemplari uno domino terrestri, altero vero subditis consignando. Praetensiones tamen nefors dominum inter et subditos ejus extantes plene et ex integro complanentur; et quantum possibile, pro justo et aequo mutua compensatione sufferantur; circa restantias tamen declarandum, quod in praeattactum computum datiae quidem et reliquae praestationes, nullatenus vero servitutes colonorum assumantur. Ibidem.

SECTIO V.

De practicis casibus relate ad urbariales robottas, partem unam earundem in natura praestandam, partem autem alteram parato reluendam.

In causa urbariali oppidi Nyirbáthor in comitatu Szabolcs nro. locumt. 5186. 1809. aul. 5294. 1810.

Praestabilito per b. resolutiones regias ddto. 26. Aug 1796, nro. 9078. et 30. octobris 1807. nro. 10164. emanatas principio illo, quod in oppido hoc reluitionalis quotta urbarialium praestationum, praeter nonam in natura praestandam, pro subditis colonis a singula integra sessione (occasione introducti urbarii sunt $64\frac{3}{8}$ sessiones indictatae) in 15 fl. 36 xr. pro inquilinis autem in 3 fl. 20 xr.; pro subinquilinis denique in 1 fl. 30 kr. illa ratione defigi debeat, ut pars robottarum per oppidanos dominio terrestrali in natura praestetur.

Sedes dominalis hanc rem ita decidit;

a. Ut integrae sessionis colonus praeter nonam in natura solvat census domalis titulo	1 fl.	
b. Jugales robottas cum duobus jumentis dominio praestet 32 a 20 xr. .	10 fl.	40 xr.
Sedria comitatus 26 robottas et solvant 6 fl. 56 xr.		
c. a 32 robottis remansarum, et reluitioni obnoxiarum robottarum solvat	2 fl.	8 xr.
d. Pretium longae vecturae 20 xr. .	—	20 xr.
e. Pretium sectionis lignorum orgialium	—	40 xr.
	15 fl.	36 xr.

f. Huc non intellectis 3 dierum robottis manualibus pro venatione urbariali in natura praestandis.

a. Inquilinus solvat titulo census domalis 1 fl. *b.* Manuales robottas in natura praestet 10. (sedria 9.) quarum pretium a 10 xr. facit 1 fl. 40 xr. (sedria 1 fl. 30 xr.) residuarum 4 robotta-

rum manualium reluitioni obnoxiarum facit 40 xr. — in summa 3 fl. 30 xr.

a. Subinquilinus manuales praestat in natura 6; quarum pretium facit 1 fl.

b. Residuarum 5 robóttarum reluitioni obnoxiarum facit 30 xr.; in toto 1 fl. 30 xr.

Reflexiones exactoratus locumtenentialis:

36 Robottae per sedem dominalem praestari in natura determinatae constituunt plus quam duas tertias annuarum integrae sessionis urbarialis robottarum.

26 Robottae e contra per sedriam praestari defixae efficiunt dimidiam earundem robottarum partem, adeoque sententiam sedriae adprobandam censeri.

Relate ad id, quidnam debeant incolae in parata pecunia solvere dominio terrestrali? Cum reluitionalis quotta urbarialium praestationum unam integram sessionem ferientium per resolutionem regiam in 15 fl. 36 xr. defixa habeatur, pretium autem 26 robottarum jugalium 8 fl. 40 xr. sonstitueret, hinc ab una sessione urbariali adhuc 6 fl. 56 xr. in parata solvantur.

Cum obtingentia unius inquilini in 3 fl. 20 xr. subsisteret, pretium autem 9 robottarum manualium 1 fl. 30 xr, efficeret, per talem adhuc solvantur 1 fl. 50 xr.

Cum competentia unius subinquilini in 1 fl. 30 xr. defixa haberetur, pretium autem 6 dierum manualium 1 fl. constitueret, solvat idem in parato adhuc 30 xr.

Alleviante operarum illic in natura praesta-

tione potius, quam aere parato illarum redemptione subversante — ob defectum parati aeris — labores in supputationem quottae reluitionalis dominio integrum sit, in natura redimere:

Ex processu urbariali dominii rubro claustri ad fundum religionarium spectantis contra neo colonistarum communitates sub Lechnitz, ó Major — Gallenberg et Hafka in comitatu scepusiensi (suevorum coloniarum anno 1786. in dominio Lechnitz illocatarum) sub nro. aul. 9166. 1811. agitato — patet robottas dominium sibi certa parte, in natura per colonos contractualiter tractatos praestandas retinuisse. Locumtenentiali nro. 22341. 1808. aul. 12341. 1808.

Nro. locumt. 12242. 1812. subditi C. karolyiani in eo recurrerunt, ut demessionem frugum allodialium non juxta jugera, sed more antiquiori juxta cruces perficere teneantur, et quidem juxta declarationem eorum, quod unus 4. cruces a 13. manipulis dietim defalcare possit. Sedria comitatus Pest. determinavit, urbariali praescripto, ut ab ortu solis usque occasum robottent, insistendum esse. Consilium regium locumtenentiale adprobavit.

Nro. locumt. 31918. 1812. In dominio Magyar Kakucs in comitatu Bihar, de recepta consuetudine singulus messor una die 2. cruces metere tenetur, unam ab 18. manipulis: Sedria decidit, et Consilium adprobavit: Provisioni urbariali eatenus insistendum esse.

CAPUT XI.

De complexu benignarum dispositionum regiarum, urbarialem regulationem uberius explanantium.

SECTIO I.

De subditis, in eorundem constitutivo. (Puncto urbarii primo.)

ART. I.

Quoad urbariorum introductionem generatim.

Terrestralia jura dominalia et cetera beneficia, quae etiam nomine regalium veniunt, radicantur unice in literis donationalibus, et legibus publicis, coloni autem, et subditi dominorum terrestrium, a quibus fundos jam antiquissimis temporibus inde a Ludovico I. erga defixas servitutes et praestationes acceperunt, qua perpetui jam nunc eorundem usufructuarii, demptis lege casibus, considerandi sunt. Correlationem dominos terrestres inter, et eorundem colonos subsistentem determinate defixerunt urbaria sub regimine immortalis Mariae Theresiae introducta, quibus et dominiorum terrestralium jurisdictio in subditos urbariales, et rusticorum dependentia a dominis terrestribus describitur, et praecipue autem colonicalium tenutorum qualitas et quantitas, quamvero pro his per subditos urbariales suis dominis terrestribus praestandarum servitutum, et datiarum quidditas, numerus, et ordo certis sub limitibus definitur. Annis 1766. 1767. 1768. per commissarios regios fine procurandae urbaria-

lis introductionis ad comitatus regni penes instructionem exmissos, in omnibus fere comitatibus medio exequentium magistratualium pariter sua instructione provisorum urbarialis regulatio effectui est mancipata; provisorio modo annis 1790. 1792. et 1796. in tabulas legum relata.

ART. II.

Quoad incolarum urbarialem subdivisionem.

Incolae dominali jurisdictioni subjecti in tres classes abire possunt, in quarum prima sunt communitates privilegiales, in altera contractuales, in tertia denique colonicales seu sic dictae urbariales communitates.

Primi ordinis communitates reguntur juxta tenores privilegiorum, et juxta conventiones in nexu eorundem cum dominiis terrestralibus initas. Alterius ordinis communitatibus normam praefigunt contractus; tertiae denique classis tractamentum sistunt b. urbaria. E re tamen est, ut contractibus mutuo partium consensu libere ineundis, tenores b. urbarii puncti noni quoad internam loci administrationem, et ordinem, in quantum substrati ratio comparative ad localia adjuncta, et praehabitus usus deposcit, et admittit, inserantur; eo isthic addito, in una eademque possessione vel oppido, ubi coloni contractu provisi sunt, contractualia beneficia, etiam inquilinis et subinquilinis a proportione competere soleant.

C o l o n i autem sessionati sunt, qui tam fundum intravillanum, quam et fundos extravillanos,

seu terras arabiles et prata in competenti mensura possident.

Inquilini domibus quidem provisi, sed extravillanis appertinentiis destituti sunt, possessorium autem minus una octava sessionis si etiam habeant, in calculum hunc non assummitur.

Subinquilini demum illi, qui domibus carent, et apud alios colonos vel inquilinos degunt, etiamsi distincto foco et pane utantur.

ART. III.

Quoad colonorum urbariale constitutivum.

Constitutivum urbariale est defixa quantitas terrarum arabilium, et pratorum, quae post peractam locorum classificationem in terris quidem arabilibus per jugera duarum metretarum posoniensium capacia, in pratis vero per falcastra, habito classificationis respectu ad unam integram colonicalem sessionem emensa est. Una igitur integra colonicalis sessio consistit,

a. ex fundo intravillano, in quo colonus habitat, quive cum area, horto, horreique loco duarum metretarum posoniensium capacitatem adaequare debet.

b. Ex certa quantitate terrarum arabilium et pratorum, juxta elaboratam loci classificationem, ad eundem fundum intravillanum determinata, quae passim nomine postfundualium seu postdomalium, aut etiam sessionalium appertinentiarum venire solet. (vide tabellam constitutivi extravillani pagina 28.)

ART. IV.

Quoad locorum classificationes generales.

Classes possessionum perhibent ipsa urbaria, communitatibus etiam extradari solita, quae si deperdita essent, erga recursum ex archivo comitatus haberi possunt. Stabilitae locorum classificationes, mutationi, aut alterationi non subsunt, et in casum, quo huius alterationis necessitas evicta foret, nunquam locum obtinere potest, antequam objectum hoc altissimae decisioni substratum, medio b. resolutionis regiae superetur, in casibus ubi possessio aliqua relate ad constitutivum urbariale necdum classificata, primum urbariali regulationi subjicienda disponitur, juxta praesriptam methodum beneficia et maleficia illius possessionis, cuius classis pro introducendo urbario determinanda esset, per legale testimonium in facie loci, cognosci, libratisque ad praescriptum omnibus circumstantiis localibus, in sede dominali, primum et ante omnia circa defigendam classem sententia ferri, et a revisione sedriae altioribus dicasteriis fine decisionis et edendae desuper resolutionis regiae substerni debet. Classificatione taliter superata, ad ulterioris regulationis continuationem proceditur.

ART. V.

Quoad particularem cuiuslibet loci territorii classificationem.

Praeter memoratas generales locorum classificationes quodvis distincte, et jam generaliter classificatae possessionis, vel oppidi territorium, quoad

fundos extravillanos reflexe ad eorum fertilitatem, et glebae qualitatem in tres dispescitur classes; fertiliores agri, et intravillano propingviores ad primam, mediocres vero, aliquantum remotiores ad secundam, steriles demum, et maxime remotae ac sabulo repletae ad tertiam classem, per diverticula, seu agrorum cursus referuntur, juxta quas dein jugerum unum agri primae classis a 1100. secundae a 1200. — tertiae demum classis a 1300. orgiis quadratis (prout pagina 6. dictum) dimetiendum est; cuiusmodi agrorum classificationes cum alia locorum et constitutivi sessionalis classificatione velut distincta, et nullum nexum cum illa habente, in operationibus urbarialibus confundi non possunt, quia haec non tantum a qualitate glebae, sed etiam a reliquis locorum beneficiis desummitur, et id solum definit, quot numero jugera terrarum ad hanc vel illam classem exscindi debeant, illa vero agrorum nempe classificatio, unice a qualitate glebae metiri debet, et determinat, qualisnam orgiarum quadratarum mensura ad hoc vel illud jugerum desideretur, perque exmissos magistratuales in facie agrorum, conformiter oculari seu experientia, seu per diverticula, seu agrorum cursus, seu quoad singuli coloni appertinentias, distinctim, prout aequalitas, vel diversitas glebae exposceret, peragi debet, quae operantibus geometris finem in eum extradatur, ut hi fundamento illius, agrorum dimensionem instituere sciant, quae omnia tam benignis instructionibus, comissariorum quidem regiorum §. 34. — exequentium vero magistratualium cap. I. §. 3. — capite

2. §. 9., quam benigna explanatoria resolutione 17. septembris 1767. circulariter intimata diserte perhibentur.

ART. VI.

Quoad pratorum urbarialium excisionem.

Quod concernit pratorum urbarialium excisionem, illa occasione primaevae urbarialis regulationis a qualitate seu quantitate graminis classificabantur, atque per falcastra, quorum singulum in spiritu b. resolutionum annis 1772. et 1773. nro, 183. et 3578. nec non benigni urbarii punctum I. unius currus foeni ferax pratum efficere debet, absque omni mensura comparative ad defigendum orgiarum numerum, ad sessiones urbariales exscindebantur; (vide tabellam extravillani pagina 28.)

Ductu magistratualium exequentium instructionis cap. II. §. 3. punctis 13. et 14., benignarum item resolutionum regiarum de 7. octobris 1771. nro. 5639. et 28. novembris 1775. nro. 5814. terras arabiles et prata urbarialia rapacitate aquarum, aut aliis fatalitatibus avulsa et excavata, seu sabulo repleta, aut dumetis referta, si prorsus inutilia reddantur, domini terrestres nisi ipsi vellent, redintegrare, aut bonificare non tenentur, proinde ad praestandum loco talium fundorum urbarialium aequivalens stringi nequeunt quidem, attamen fundis his celeroquin a constitutivo supputandis, in casu hoc coloni ad servitutes et praestationes, quae actuali fundorum possessorio incumbunt, praestandas nec de lege, sed nec de justo et aequo adigi poterunt.

Etsi in compluribus locis urbarialibus coloni

prata etiam communia, quae secus prata communitatis audiunt, possideant, eaque dispositione resolutionum regiarum anno 1767. 15. septembris, et 11. decembris emanatarum, tempore primaevae urbarialis regulationis, erga eotum vigentem usum communitatibus ultro relicta, actis et tabellis urbarialibus determinate inseri debuerint, in casum tamen eum, quo occasione urbarialis regulationis cognosceretur, similia communitatum prata, quantitatem in antiquis tabellis urbarialibus expositam excedere, illa ad eam, quae occasione introductionis urbarii tabellis inserta est, quantitatem reduci non possunt, eo minu autem, si haec jam dicalem conscriptionem ingressa sint, aut vero dotationi meliori communitatum subserviant, aut denique classem terrarum remanentialium ingredi comperiantur.

SECTIO II.

De beneficiis colonorum, puncto urbarii secundo.

ART. I.

Quoad pascui competentiam et numerum pecorum ac pecudum in eodem intertenendorum defigendum.

Relate ad pascui sufficientiam adsunt generales resolutiones regiae, quibus rite semper insistendum, adsunt etiam particulares, quae tamen generalem cinosuram non suppeditant. Anno 1771. 31. maii in processu urbariali pellérdensium comitatui Baranya intimatum est, ut ubi sufficientia pascui adest, ibi si aliqua particula per dominium

terrestrale pro agro, vel prato ex communi pascuo occupetur, illa apud idem relinqui debeat. Id unice de principio instituti urbarialis in illis casibus admitti potest, ubi avulsi fundi semper ut dominales stricte considerati, nunquam dicalem conscriptionem ingressi sunt, saepe enim non verba, sed spiritus resolutionis regiae examinandus est, dum de similium quaestionum decisione agitur.

Quo autem pascua non restringantur, aut excessivus numerus pecorum et pecudum in pascuo intertenendorum huic restrictioni ansam praebeat, sufficiens jam facta est provisio, in cujus nexu anno 1784. 16. decembris nro. 14391. resolutum, et die 5. Januarii 1785. Nro. 262. comitatibus Temes, Torontal, et Krasso intimatum est, ut graeci ritus non unitis parochis pro domestica et propria necessitate frusta boum sex, vaccarum duarum, unius alteriusve vituli, ovium 18, et sabellicorum 8. ad pascua communia admittantur.

In dominio Végles principis Eszterházy comitatu zoliensi sedes dominalis decidit, ut colonus integrae sessionis jugalia pecora 8, vaccas 4, setigeros 10, oves ad beneplacitum dominii, ita a proportione mediae, quartae, et octavae sessionis coloni, inquilini vero, sicut octavalistae intertenere possint.

In possessione Pétzel comitatus pestiensis numerum pecorum ita defixit; superiori officiali, et parocho boves 6, vaccas duas, equos 2, oves 20, setigeros duos. Inferiori officiali et ludimagistro

boves duos, vaccam unam, equos duos, oves 20, setigerum unum. In possessione vero Monor, superiori officiali, et ministro boves 8, vaccas 4, equos 4. oves 50, setigeros 10, inferiori officiali, et ludirectori boves 4, vaccas duas, equos duos, oves 25, setigeros 5 in communi pascuo intertenendos, quod ipsum executionalibus insertum est.

Comitatus soproniensis anno 1785. tum ideo, quod gremialia comitatus loca plerumque, arcto provisa sint territorio, cum vero ex eo, quod onerosa ovium intertentio, praeterquam quod multis obnoxia sit periculis, insuper pecorum, ad praestandos publicos labores necessariorum intertentionem nimis impediat, adeoque colonis, qui propter oves persaepe foenum pro militari intertentione aere parato comparare coguntur, damnum potius, quam lucrum adferre soleat, oves colonorum pro ratione extensionis majoris vel minoris territoriorum, vel cassandas, vel ad minorem numerum reducendas disposuit. Pascuum commune lanioni in Szigeth pro illis pecoribus, quae pro emacillatione sunt destinata, usuandum conceditur - resolutione regia sub nro. locumt. 5792. die 21. Augusti 1772. emanata.

In causa urbariali dominii Sopron contra communitatem possessionis Loiperspach obtutu certae plagae Ebenholcz dictae, prohibendae quippe isthic partis ex 61550. quadratis orgiis consistentis, undiquaque fruticibus et dumetis consitae atque pro impopulatione sylvae reservandae — ubi sententia sedis dominalis pro dominio favorabilis revisioni sedriae subjecta fuisset, sedes judiciaria co-

mitatus Sopron. eo ex fundamento, quod per ademptionem quaestionatae plagae pascuum colonorum effective coarctaretur, colonos in actionali plagae praehabito usu ultro quoque relinquendos determinavit, sentenția hac etiam per excelsum Consilium regium locumtenentiale probata. Nro. 30848. 816. die 22. octobris.

ART. II.

De praescripto sylvarum ordine, et competenti lignatione urbariali.

Cum coloni beneficia urbarialia in sylvis dominalibus defixa habeant, ea, quae relate ad ordinem sylvarum 1770. circulariter publicata sunt, in quantum nexum cum urbariali regulatione haberent, commemorare juvabit. Sunt autem hoc obtutu sequentia statuta. *a.* Ut succrescentes sylvae, a pascuo pecorum, praesertim vero caprarum, adminus per decennium severe inhibeantur; necessitate exigente longius etiam praefigitur tempus, usque dum cornutum pecus frondes attingere et carpere haud possit. *b.* Fine majoris sylvarum conservationis, aedes, stabula, reclinatoria, horrea, aliaque aedificia rustica non e lignis, verum limo, terraque constipata, aut crudis tegulis, vel etiam cemento, ac lapidibus, ubi horum copia est, tecto excepto erigantur, et sepimentorum loco similes muri, vel vivae sepes ponantur. *c.* Taedae ligneae pro lichnis, aut candelis, ac facibus in quibusdam locis adhiberi consvetae, ubi frequentiores sylvae harum usum admittunt, nonnisi erga dominii indultum concedantur. *d.* Plagae pro pascuo designatae, in quibus virgulta, et arbusculae sponte sua succrescunt, a pascuo inhibe-

antur, in excisione vero pascui attendendum, ne illud in juvene succrescente sylva colonis assignetur. *e.* In sylvis citra expressam dominii terrestralis facultatem domos, vel gazas aedificare nemini sit licitum; *f.* Ligna focalia a 1. novembris usque finem februarii, aedilia vero mensibus nonnisi januario et decembri caedi admittantur. *g.* Ad sistendam promiscuam colonorum lignationem; in territoriis, ubi iidem seu in sylvis communibus, aut ad sessiones excisis, vel dominalibus lignationis beneficio fruuntur, investigata et cognita praevie eorum domestica necessitate, dominium terrestrale, a proportione sylvarum certam de anno in annum lignorum quantitatem, designando per dominium tempore, caedendam, defigit sub exemplari in contravenientes statuenda poena, nullus colonorum ligna succidere ausit, aedilia vero ligna neque in ipsorum, et colonorum communibus, aut sessionalibus sylvis, absque peculiari dominii indultu decutere, eo minus vero extirpaturas facere liceat. Si vero sylvae communes, aut ad sessiones excisae vastaefuerint, eae in plures annos juxta praescriptum lignicidii ordinem subdividantur; denique *h.* ut coloni tamdiu, donec circa, et ante domos eorum, areas, hortos, horrea, vacuus, plantandisque arboribus aptus locus repertus fuerit, singulis annis arbores implantare teneantur.

Anno 1772. 21. decembris nro. 5831. ex ratione conservationis sylvarum, resolutum est, ut in quantum fieri potest, in illis regni partibus, in quibus mos erigendorum, e ligneis praecise materialibus aedificiorum praevigeret, subditi muros

aedificiorum suorum ex solidis, ubi modus est, secus e crudis materialibus conficere teneantur, dominia vero terrestralia ligna pro tecto solum, portis et fenestris etc. suppeditent.

Anno 1773. 22. novembris nro. 5836. resolutum est, ut praeter ligna aedilia, et focalia, vi instructionis exeq. mag. cap. V. §. 30. subditis competentia, ligna etiam pro reparandis curribus, aratris, occis, trahis, pecorum jugis, aliisque instrumentis oeconomicalibus necessaria ex eo etiam, quod ejusmodi instrumenta a potiori in laboribus dominalibus atterantur, per dominia concedantur. Fabris eatenus ad peculiarem conventionem, cum dominio ineundam relegatis.

Anno 1786. 27. martii resolutum, et 27. aprilis nro. 18041. circulariter publicatum est, ut fine efficacioris sylvarum conservationis dominia terrestralia in concursu comitatus certos pro lignatione dies eo addito defigant, ut si propter nivium nefors copiam, aut viarum impractibilitatem ligna e sylvis evehi non possent, pro tunc dominia terrestralia alios dies pro illo tempore determinent.

Relate ad quantitatem lignorum focalium in quot curribus; aut orgiis defigendam nulla generalis, ut jam dictum, praeexistit normativa dispositio. In comitatu Castriferrei in possessione Szöllös ad dominium Vép spectante, cuilibet colono, titulo urbarialis focalis lignationis novem currus lignorum annue emensi habentur. In comitatu Sopron in dominiis principis Eszterházy, singulo integrae sessionis colono pro annuali focali lignatione sex orgiae dantur, ita ut tempore

hiemali, termino praestituto, locoque designando ligna haec ipsi coloni caedere, et avehere obligentur, evoluto vero sectionis termino, citra dominii indultum fine praemisso sylvas ingredi, iisdem cautum sit. In bonis comitis Széchényi in comitatu eodem Sopron, ad quamlibet integram colonicalem sessionem, habita sylvarum quantitatis, earumque status desolati, mediocris, et optimi ratione, 15, 10, vel 8. pro inquilinis vero uno, aeque reflexe ad sylvae qualitatem, duo vel semialterum sylvae jugerum excisa, et assignata sunt, ea lege, ut haec in pascuum quoque colonis, et respective inquilinis competens imputentur. In dominio Csaktornya comitatu szaladiensi jam anno 1769 per sententiam sedrialem sub praesidio commissarii regii in re urbariali ad dictum dominium delegati latam, cuilibet integrae sessionis colono quatuor orgiae et sic a proportione, mediae, quartalis sessionis colonis; ad unam vero domum inquilinarem una orgia lignorum focalium annue per dominium concedendae determinabantur.

SECTIO III.

De robottis colonorum domino terrestri praestandis, (puncto urbarii tertio.)

ART. I.

De robottis occasione ferventium laborum.

Quoad robottarum subditis incumbentium praestationem; anno 1772. 18. maii nro. 2179. intuitu robottarum tempore fer-

ventium laborum excessive desumptarum, comitatui posoniensi intimatum est; siquidem tempore ferventium laborum robottas insolita multiplicatione exigere, subditis damnosum, laboresque tali tempore majoris essent valoris, incompetenter desumpti ejusmodi labores, habita ad majorem eorundem valorem condigna reflexione bonificandi procurentur, ut in exemplo una manualis pro dupplicata imputetur, (aut si colonus praeoptet, labores ipsi juxta determinationem comitatus parata bonificentur.)

ART. II.

De exactione robottarum ultra tabellam urbarialem.

Anno 1772. 18. maji nro. 2389. Comitatui Sümegh intimatum; ut in quantum excessiva robottarum exactio respectu tabellae urbarialis evicta fuerit, etiamsi subseque habita dimensionis geometricae ratione, deprehensi excessus tolli viderentur, relate tamen ad praevium tabellarem excessum pro praeterito satisfieri debeat.

ART. III.

De curribus colonorum qualiter onerandis.

Anno 1773. 10 decembris nro. 5693. comitatui Veszprém intimatum, ut in onerandis subditorum jugales robottas praestantium curribus ea adhibeatur ratio, ne per excessivum onus, pecora solito magis graventur, et enerventur, factoque hoc coloni damnificentur; atque ideo, quemadmodum coloni, dum pro se ipsis jugalem quampiam operam, aut vecturam subeunt, ordi-

narie currus suos bijugos onerare assolent, ita etiam dum pro dominio suo bijugalem robottam perficiendam habent, consimile onus ad plaustrum suum assummere obligentur; secus enim si facto dominii, per excessivam onerationem damnum illis causatum fuerit, illud dominium eisdem resarcire debebit.

ART. IV.

De tempore pabulationis et adaquationis.

Anno 1781. 7. junii nro. 1843. et 2076. intimatum est; siquidem tempus pabulationis, et adaquationis ex eo definiri non posset, quod necessaria hunc in finem mora, non tantum robori jumentorum, sed etiam temporum pro labore magis, vel minus favorabilium, distantiae item loci adaquationis, et pascui circumstantiis commensurari debeat, ideo a norma unius, respective duarum horarum, pro pabulatione praescripta, nihil abstrahatur, et domini terrestres in vicem illius, ad observatas praemissas circumstantias, sub onere damnorum refusionis invientur.

ART. V.

De numero araturarum, qualiter definito.

Anno 1781. 22. junii nro. 3256. sua Majestas sacratissima araturarum numerum ita definire dignabatur, ut quum intra decursum anni quatuor ad summum araturarum tempora recurrere soleant, quatuor hebdomadarum servitutes in araturas conformitate urbarii imputandas, converti possint, ea tamen cum observatione, ne dictae

araturae ad semel, verum distinctis temporibus desummantur; in reliquo domini terrestres araturam cum occatione non confundant, verum illam jam ad certum numerum reductam, in spiritu urbarii puncti III. hanc vero, uti alias jugales operas in computum laborum imputent, in quantum autem occatio eiusmodi haud imputata haberetur, eadem respectivis colonis pro praeterito bonificetur.

ART. VI.

De exactionibus et imputationibus robottarum excessivis.

Anno 1784. 28. septembris nro. 18482. intimatum, querimonias quoad exactiones, et imputationes robottarum e sequentibus praeprimis rationibus oriri solere; *a.* quod aliqui domini terrestres labores nonnunquam per aversionem exigant, alii dies laboratorum adeo dismembrent, ut vel haec dismembratio, an nimirum praestitus labor pro quarta, media, aut $\frac{3}{4}$ diei computari debeat, dubium relinquat, querelisque ansam praebeat. *b.* Tesserae, seu sigilla per officiales dominales non illico extradentur, hinc vero contingat, ut hac extradatione in longius tempus dilata, nec subditi, quot labores praestiterint, nec officiales, quot sigilla extradare debeant, recordentur. *c.* Quod officiales dominales praescriptum per urbarium robottarum regestrum minus servent. *d.* Subditi frequenter pueros, vel puellas ad robottam mittant, qui subinde licet a parentibus missi, semet a laboribus absentant, adeoque si-

gilla reportare nequeant. *e.* Non raro subditi sigilla inter se vendant, et cum illis traficent. *f.* Quod circa quemlibet locum determinatum non sit, quot jumentis aratura et qualiter perfici, adeoque quot sigillis bonificari debeat. *g.* Quot jumentis occatio, et aliae laborum species reflexe ad principia circa araturam adducta, perficiendae, et quot sigillis compensandae sint. Hinc comitatibus injunctum, ut ad praecavendas querimonias similes, reflexe ad praerecensita puncta, normativum quodpiam elaborent, dominis terrestribus pro stabili exigendarum, et imputandarum robottarum regula deserviturum.

ART. VII.

Quoad longas vecturas.

Quoad longas vecturas id praeterea notandum. Anno 1770. 11. junii nro. 2552. intimatum est, quod a sessionatis colonis, etiam jugalibus destitutis, non solum araturae, sed et longae vecturae exigi possint, nisi pecora talia colonorum, fato perivissent, quibus tantisper indulgeri debet.

Anno 1772. 28. decembris nro. 5596. comitatui Castriferrei rescriptum est, quod certior proportio etiam ad currus pro longa vectura praestandos e numero robottarum, quam qualitate sessionis erui possit, et hoc ipsum in futurum observari debeat.

Anno 1779. 4 octobris nro. 5265. commissioni regiae in Croatia operanti intimatum fuit, ut quum numerus vecturarum hactenus per dominia a colonis indefinite exactarum per commissionem re-

giam in 4. animalibus, singulum a triduo computando defixus sit, si pro ejusmodi vectura triduum non requiretur, dominia residuos dies exigere, et in suos usus convertere possint.

Anno 1781. die 7. junii nro. 1843. et 2070. intimatum; longis vecturis ceteroquin determinatis existentibus, alias hebdomales robottas in eiusmodi longas vecturas converti non posse.

ART. VIII.

De lignorum consectione, et vectione.

Respectu lignorum orgialium praestationis anno 1774. comitatus Castriferrei erga querimoniam also-schützensium, eam tulit determinationem, subseque anno 1776. 30. septembris nro. 5173. per excelsum Consilium regium locumtenentiale approbatam, ut siquidem ligna orgialia non per colonos, verum manualistas, seu inquilinos consecanda sint, ideo dies in succisionem lignorum per colonos insumpti, querulantibus colonis in robottam imputari debeant.

Anno 1775. idem comitatus determinavit, quoniam titulo consectionis quadrantis orgiae lignorum nonnisi mediae diei manualis robotta dominio competeret, hinc si plus exactum fuisset, eatenus imputatio fiat, ex quo patet, pro consectione integrae orgiae duarum dierum manualem robottam competere.

Anno 1774. 25. julii nro. 2369. comitatui de Arva respectu possessionum Kubiny, et N. Falu intimatum est, ut non exigantur ligna orgialia ab eis, qui sensu urbarii puncti II. §. 8. sylvis ad rationem communitatis excisis, aut singillativis ses-

sionibus adrepartitis provisi sunt; in aliis interim comitatibus usus continuo praevigens contrarium perhibet.

Anno 1784. 21. februarii nro. 3407. erga querimoniam possessionis Bögöte in comitatu Castriferrei, in eo positam, quod in locum vectionis lignorum orgialium, tam integrae, quam mediae et quartae sessionis coloni aequaliter ad unius diei jugalem robottam adigantur, resolutum est: Cum urbarium absque ulla qualitatis sessionum distinctione admittat, ut in locum sectionis et devectionis urbarialium lignorum, duas manualium, et unam jugalium robottarum dies dominium exigere valeat, et alioquin unum idemque beneficium ex lignatione percipiat integrae, mediae, quartae, et octavae sessionis colonus, ex cuius beneficii motivo, lignorum orgialium praestatio determinata habetur, hinc dominio admittendum esse, ut a cuiuscunque demum qualitatis, seu quippe integrae, seu mediae, seu quartae, seu octavae sessionis colono, unius diei robottam jugalem praemisso titulo desummere possit.

ART. IX.

Quoad decimae praetensam convectionem.

Porro quod subditi decimam praestantes, ad gratuitam decimae convectionem, velut nulla patriae lege iisdem impositam, minus obligentur, ad eandemque praestandam per clerum adigi non possint, resolutio etiam regia anno 1773. 19. julii nro. 3347., comitatui scepusiensi, quoad 13. oppida scepusiensia intimata indigitat.

ART. X.

Quoad labores vindemiales exactos; et vecturam cuiuscunque speciei.

Anno 1772. 25. septembris nro. 4581. circa dominos terrestres submontanarum vinearum in usu labores vindemiales a subditis suis praeter ordinariam robottam exigendi relinqui supplicantes, resolutum est; quod a norma urbarialis regulationis respectu universi regni stabilita, ne hac quidem in parte recedi possit, subditis ceteroquin, si cum iis conventum fuerit, operam suam utique libenter praestituris, de cetero ad praestandam qualemcunque etiam pro pretio vecturam, colonos invitos compellere non licet, verum si dominus terrestris colonum suum extra robottam, pro naturalium ad nundinas, et fora, vel alio devectione educere vellet, attunc cum colono, an et qua mercede vecturam praestare cupiat, citra ullam coactionem conveniendum est. Urbar. p. 3. §. 16.

SECTIO IV.

De ceteris praestationibus et datiis colonorum (punctis urbarii 4. et 5.)

ART. I.

Quoad redemptionem filaturae.

Dominis terrestribus liberum est, circa redemptionem filaturae, cum subditis suis conventionem inire, quod ex combinatione etiam resolutionis regiae anno 1785. 9. septembris nro. 20777. elargitae non obscure eruitur, in casu namque re-

dimendae filaturae, quemadmodum in nonnullis locis usu venit, coloni invicem emensae ipsis filaturae, vel robottas seu jugales, seu manuales, conventionetenus defigendas (non tamen urbarii praescriptum excedentes) praestare, vel illam aere parato, singulam eius libram a 9. xr. computando reluere solent; ubi vero filatura taliter redimitur, ibi saccorum pro usibus dominii praestationem a colonis exigere vetat modo citata resolutio. Anno 1774. die 7. januar. nro. 92. erga petitum comitatus scepusiensis, ut dominis terrestribus aequivalens nonae percepturis filaturam exigere liceat, resolutum, ut si medio tempore coloni ad filaturam quoquo modo coacti fuissent, eisdem merces conveniendo inter dominos terrestres, et subditos suos pretio persolvenda ordinetur. Anno 1776. die 9. aprilis nro. 1929. comitatui Comarom intimatum, ut cum in hoc comitatu nona non ubique in natura, sed in compluribus locis in aequivalenti praestetur, ubi vero nona in aequivalenti compensetur, ibi praestatio filaturae abrogata sit, ideo quoad loca contractualia ad praestationem nonae in natura haud adstricta, filatura in contractibus specifice exposita simpliciter cassetur.

ART. II.

Quoad optionem nonae.

Anno 1770. 21 novembris nro. 5228. resolutum, et 3. decembris anni eiusdem nro. 5685. comitatui Borsod intimatum est, ut si dominium in reali perceptionis nonae usu praefuit, et ab hoc per conventionem temporaneam recessit, dein

vero licet recentioribus annis eandem in natura desummere coepit, optioni locus esse haud possit, quodsi autem dominium terrestrale praehabitum hunc realem praescriptionis usum legitimare nequiret, adeoque annis duntaxat, ubi urbarium introduci coepit, primum nonam in natura desummere inchoasset, casu in tali, optio nonae omnino locum habeat. Anno 1771. die 11. septembris nro. 4591. decisum est; ad quaestionem, num nonae optio in natura vel aequivalenti praestandae in comitatu Csongrad delata, terrenum duntaxat locale, vel etiam praedia incorporata afficere debeat? ut in praediis, in quibus fundi, et terrae numerum sessionalis constitutivi subingressae sunt, nonae in natura, vel aequivalenti praestationis electio penes subditos maneat, in aliis autem praediis in vicem octavae vigore b. resolutionis regiae die 6. maii anno 1771. emanatae, obveniens nona in natura per colonos dominio terrestrali dependatur.

ART. III.

Quoad usum decimae a terris extirpatitiis.

Anno 1771. 3. augusti nro. 3972. quoad urbarialem dominii Csaktornya regulationem resolutum est, ut si dominium praeter nonam etiam in usu decimae a terris extirpatitiis desummendae praefuit, cum urbarialis regulatio decimam, velut jus cleri in substantia non afficiat, idem dominium in speciebus lege praescriptis, etiam quoad extirpatitias terras, in usu decimae hucadusque continuato relinquatur.

ART. IV.

De hiematione pecorum dominalium in locum nonae.

Anno 1771. die 22. novembris nro. 5833. circa hiemationem pecorum dominalium, resolutum est, ut hiematio pecorum dominalium in comitatu Marmaross in vicem nonae praestari solita velut abusiva abrogetur.

ART. V.

De decima ab agris pro adjustatione pratorum datis, et extirpaturis.

Anno 1773. die 6. novembris nro. 5336. erga petitum cleri scepusiensis semet in desumptione decimae ab agris pro adjustatione pratorum datis, et extirpaturis manuteneri supplicantis, resolutum est, quod desumptio decimae ab agris pro adjustatione pratorum datis, et noviter factis extirpaturis, in conformitate etiam instructionis urbarialis cap. V. §. 30. non competat, competat tamen a talibus extirpaturis, quae naturam suam antiquitate amiserunt, et jam pro sessionalibus habentur, ab his ergo clerus in usu exactionis decimae ex speciebus lege definitis omnino conservandus sit.

ART. VI.

De decima et nona vini.

Anno 1773. die 29. novembris nro. 5580. comitatui szaladiensi circa modalitatem exigendae decimae, et nonae vini intimatum est, ut terminus desumptionis decimae, et nonae vini in sensu legis, articuli quippe 95. 1647. relinquatur, adeoque tam decima, quam nona usque epiphaniam

desummatur, pro futuro, utraque haec praestatio ab actuali procreationis vini quantitate, habita etiam foecum ratione exigatur, taliterque actualis, et realis duntaxat procreatio pro connumerativo assummatur.

ART. VII.

De nona a fundo intravillano.

Anno 1775. die 5. januarii nro. 135. comitatui szaladiensi quoad dominium Balatincz intimatum est, quod a fundo intravillano, in quantum competentiam sessionis colonicalis superaret, nona indubie praestanda sit, non secus a pratis etiam in locum agrorum assignatis, reflectendum tamen, an quoad importantiam fructus, prata, agrorum vices adaequate suppleant.

ART. VIII.

De decima in stramine vel grano, aut optione nonae.

Anno 1780 die 18. februarii nro. 676. resolutum est, ut ubi decima jure dominali partim in stramine, partim in grano desummebatur, inibi volentibus dominis terrestribus usus iste ultro etiam locum obtineat, quodsi vero dominia ad praestationem istiusmodi praehabitae decimae consentire nollent, nonae praestatio optioni subditorum deferatur, ea tamen cum observatione, ut dominiis ad praestationem decimae consentientibus, agri in adjustationem pratorum emensi ab hoc onere juxta generalem regulam sint immunes.

Anno 1780 die 17. martii nro. 1229. relate ad querimonias nonnullorum subditorum in eo posi-

tas, quod ex defectu sufficientis informationis nonam in natura praeoptaverint, supponentes semet ab omnibus robottis immunes futuros, et cum contrarium experiantur, aequivalens potius dependere cuperent, resolutum est, ut ubicunque defectus talis intercessisset, actus optionis, an nonam in natura vel aequivalenti praeeligere, velint, colonis relinquendae reiteretur.

ART. IX.

Quoad vineas, et promontoriales articulos.

Quorum intuitu notandum.

1. Quod promontoria praeter contractum, occasione implantationis, eorum dominos terrestres inter, et promontorialistas super datiis universis, seu titulo nonae, seu titulo juris montani praestandis, initum, soleant habere articulos quoque promontoriales, in nonnullis locis per respectivos comitatus, in aliis per ipsos duntaxat dominos terrestres, extradatos, in quibus non solum praestationes promontoriales determinate exponuntur, verum ad servandum inter montanistas bonum ordinem, tam quoad emptionem, venditionem, et abaestimationem vinearum, quam vero relate ad decidendas inter se vertentes liti obnoxias quaestiones, puniendos item excedentes, et damna in vineis inferentes etc. regulae prvescribuntur.

2. Prout contractus, et articuli promontoriales non ubique aequales sunt, ita juris quoque montani, aliarumque datiarum praestationes, diverso modo exiguntur, prout nempe domini ter-

restres, cum iis, qui vineas initio implantarunt, convenire poterant; in quibusdam promontoriis ex vino tam jus montanum, quam vero nona in natura dependitur (qui usus antiquissimus est, legemque, quoad non augendum jus montanum antecedit) in aliis vero nona solum praestatur; in ineundis tamen contractibus, pro determinanda praestationum et juris montani quantitate, numerus fossorum, ad cultivandam cujuslibet possessoris vineam requisitorum assummi solet, ac ita pro ratione circumstantiarum a singulo fossore, mox major, mox vero minor musti quantitas, ac insuper plures vel pauciores capones, aut pulli stipulántur. Jurisdictionibus comitatuum in reliquo incumbit debite providere, ne ulli abusus aut excessivae exactiones eatenus interveniant, atque observati omnes defectus autoritate magistratuali pro comperto compensentur.

3. In singulo districtu promontoriali constituitur judex montanus, et plures magistri, seu jurati montium, qui per montanistas, praesente officiali concernentis dominii, ex individuis per dominium candidatis eliguntur, et hi non solum in congressibus promontorialisticis (hegység, in nonnullis vero locis helység gyűlés) nuncupatis, vere, et autumno ante vindemias, nonnunquam etiam pro ratione circumstantiarum post vindemias celebrari solitis, occasione quorum articuli semper republicantur, praesentes esse, querelasque inter montanistas dijudicare debent, salva parti non contentae ad dominium terrestrale appellata; sed insuper in casibus abaestimationum

pro vineis abaestimandis adhibentur, et tales aestimationes sub jurata illa fide, qua occasione denominationis seu electionis eorum obstringuntur, peragere tenentur.

4. Prouti omnes reliqui promontorialistae, ita judices etiam et magistri montium universas a vineis suis domino terrestri competentes obventiones indiscriminatim dependere obligantur.

5. In vineis, quot fossores efficiant unum jugerum urbariale, catenus nulla idmodi resolutio regia, quae generalem regulam, aut in eo determinando cinosuram praescriberet, hactenus emanavit, anno 1769 in dominio Csaktornya, occasione urbarialis regulationis sedes dominalis, quamvis instituta in vineis proba, compèrerit, quod unus fossor, uno integro die 94. orgias quadratas, adeoque 12. fossores 1128. orgias □ fodere queant, e reflexione nihilominus ea, quod in una eademque vinea, pro ratione temporis, et personarum jam major, jam minor fossorum numerus requiratur, adeoque is non semper certus sit, unum jugerum a 1200. orgiis □ computandum, pro 12. fossoribus assumpsit, taliterque a 12. fossoribus, seu uno jugero 1200. orgiarum □, 28. pintas posonienses, et sic a pluribus vel paucioribus fossoribus, seu quadratis orgiis tot pintas, quot a proportione hujus juxta calculum obvenirent, titulo juris montani desummendas determinavit, et haec sedis dominalis decisio tam in sedria comitatus szaladiensis, quam vero altioribus locis, interventa idcirco anno 1771, die 5. sep-

tembris nro. 5016. resolutione regia adprobata extitit.

In comitatu porro pestiensi occasione dominalium conscriptionum 200. aut 250. quadratae orgiae pro uno fossore assummi solent.

6. Si quis nonam, vel jus montanum ex vino, uno anno denegat (prioribus annis praestitam) talis coram sede dominali ad amissionem vineae suae conveniri potest, si autem nobilis uno alterove anno nonam vel jus montanum non praestet, casu hoc nobilis coram vice-comite ad redintegrationem usus praehabiti lite conveniendus est. Vladisl. decr. I. art. 49. et 1655. 48. — 1625. 58.

7. Tempus exigendi nonam, et jus montanum idem est, quod supra de decimis dictum est, nisi quod dominus terrestris nonam et jus montanum usque epiphaniam non desummens, haec in lege non dicatur amittere; vina porro illa, quae per proprietarios ante desumptionem competentis nonae occultari praesummuntur, confiscationi subjacent.

8. Siquidem pedes vinearum finem in eum dati essent, ut illi quoque vitibus implantentur, et in vineas excolantur, ideo possessores praesertim in illis promontoris, in quibus nona praestatur, ad implantationem talium subvinealium fundorum ductu etiam resolutionis regiae anno 1772. die 28. octobris. nro. 5088. emanatae cogi et possunt, et debent, ceterum si fundi frugibus inseminentur, tunc nona, et ubi usus est, etiam decima ex iis desummi potest, quia totum promontorium, adeoque subvineta etiam in illo com-

prehensa, erga praestationem nonae promontorialistis concessa sunt; si vero in pomaria, pruneta, et prata convertuntur, aut vero per possessores negligerentur, attunc sensu benignarum resolutionum regiarum annis 1768. 25. junii et 1784. 3. aprilis nro. 5101. subvineta haec censui urbariali, qui a singulo jugero 30 xros constitueret, in vicem cessantis nonae, et decime subjicienda sunt.

9. Ubi vero a vinea jus montanum duntaxat dependitur, idem est, sive major sive minor fundi pars vitibus implantetur, seu secus cultivetur, quoniam jus montanum relate ad totum fundum, adeoque et subvinetum, et in defixa quantitate stabiliter praestari soleat. In illis tamen comitatibus, in quibus illa cinosura, quae in comitatu szaladiensi praeviget, adoptata est, ut nimirum a singulo jugero, singula urna posoniensis, titulo juris montani obveniat, indagare oportet, num revera jus montanum in promontoriis praestari solitum cinosurae huic subserviat, anve eadem norma, usui per legem quoad jus montanum latam stabilito inhaereat? justi enim ratio exigit, ne excessiva, aut improportionata juris montani desumptio locum obtineat.

10. Anno 1771. die 9. januar nro. 6125. ad decisionem comitatus posoniensis in eo factam, ut montanistae ab omni botrorum ad nundinas asportatione et sive ibi, sive secus instituenda distractione sub poenis inhibeantur; resolutum est, ut discretus botrorum usus non impediatur.

11. Anno 1781. die 7. junii nro. 1843. comitatui varasdinensi intimatum est, ut montanistae,

qui literis gueralibus seu contractibus promontorialibus provisi sunt, in usu earundem literarum gueralium ultro conserventur, et comitatus invigilet, ne illi in obversum articuli 97. 1715 novo oneri subjiciantur.

12. Vineae, quarum abaestimatio sua forma et modo dominis terrestribus per legem 58. 1625. et plures regias resolutiones addicta est, nonnisi terminatis vindemiis abaestimari solent.

SECTIO V.

De juribus ac beneficiis regalibus (puncto urbarii sexto).

ART. 1.

Quoad emacillationem.

Anno 1780. die 9. maii nro. 2535. circa querimoniam subditorum regni Croatiae in eo propositam, quod a singulo bove, quem ipsi pro parte, et lucro suo emacillant, 17 xri. per dominia terrestralia exigantur, in excelso Consilio regio locumtenentiali decretum est; ut siquidem macellum servandi, et subditos, ac publicum carnibus limitato per comitatum pretio, providendi obligationem dominium haberet, ipsa dominia ad obligationem hanc ita reflectantur, ut vel huic debite respondeant, vel liberam carnium emacillationem subditis admittant, eo tamen in casu, si dominia macella servaverint, et subditos de tempore ad tempus carnibus providerint, subditi ab omni carnium emacillatione abstinere, vel pro facultate sibi concedenda cum dominio convenire teneantur.

ART. II.

Quoad educillationem.

Benigna resolutio regia quoad educillum vini relate ad vacienses sub nro. locumt. 13887. die 3. julii 1795. emanata.

In ordine ad instantiam nonnullorum oppidi Vácz incolarum, qui sub diversis aliis jurisdictionibus, sive dominiis terrestralibus vineas possident, et pro eo recurrunt, ut iisdem contra dominii prohibitionem vina sua extera, id est extra terrenum ejusdem dominii procreata Vacium inferre concedatur, dignabatur sua Majestas clementer resolvere.

1. Prout colonis vina propriae procreationis in territorio ejusdem dominii terrestralis procreata, in educillo communitatis tempore urbariali concesso, aut etiam contractuali epocillare liberum sit, ita etiam sub idem tempus illa cuilibet privato invehere, et consummere integrum sit, sed insuper;

2. Talia vina ex territorio dominali propriae procreationis privatis in individuo etiam sub tempus educilli dominalis pro usu domestico inferre liceat.

3. Extera vero vina, seu sub aliis jurisdictionibus, vel dominiis procreata, sive ex colonorum propriis essent vineis, sive empta, communitas solum sub tempus educilli urbarialis, aut contractualis pro epocillatione, privati vero subditi solum tempore competentis urbarialis educilli, etiamsi communitas ex contractu nefors longiori tempore educillum concessum haberet, pro proprio solum usu talia vina invehere audeant.

4. Tempore educilli dominalis vero talem invectionem simpliciter vetari, exceptis casibus necessitatis; uti sunt nuptiae, et pro infirmis, praemissa tamen apud dominium insinuatione, et in moderata quantitate, quae ad antevertendas compotationes in 2. urnis defixa est; hoc tamen etiam ea tantum lege, ut si dominium vinum in desiderata quantitate et currenti pretio praestare non recusaret, illud insinuantes apud dominium acceptare teneantur.

Denique, ut cum in praejudicium educilli dominalis, sed et persaepe in vexam vergeret, si in uno eodemque loco, ubi plurium dominiorum compossessorum educilla forent, promiscue colonis vinum adferre liceret, hinc ex alterius dominii educillo colonis vinum efferre quidem prohibeatur, nihilominus fine capiendi haustus introitus ad aliud etiam educillum liber sit, quo ipso dominus terrestris erga tolerabile pretium defruibili vino providere studebit.

ART. III.

Quoad telonium, et naulum.

Telonium et naulum, quod aquiritur ex privilegio, in illo comitatu, in quo situatur, rite publicando, idque alteri antiquiori privilegiato telonio vel naulo, si ab eo uno milliari distet, non praejudicet. Taxa exigitur vel secundum privilegium, vel si in privilegio taxa defixa non sit, juxta limitationem comitatus. Ceterum tabella taxam specificationis sub sigillo comitatus penes telonium asservari debet, ut in casum necessitatis

itinerantibus communicari possit. Ob fraudulenter, vel violenter intermissam telonii solutionem est poena contrabandae, seu confiscationis rerum vectarum, quam poenam incurrunt ii etiam, qui falsa vada, et trajectus non privilegiatos quaerunt; sed res taliter confiscatae usque sententiam per sedem dominalem dominii illius, ad quod telonium pertinet, ferendam, conservari debent, si enim prius distrahantur, incurri potest poena violentiae, et damnorum refusio, si vero occasione defraudationis res confiscari non poterant, dominus telonii, vel arendator processum coram judice laedentis, ad amissionem rerum vectarum, quae contrabandae obnoxiantur, in specifico probandarum movet. Ulad. decr. I. art. 88. decr. III. art. 35. Math. decr. VI. art. 35. et 1723. art- 15.

ART. IV.

Quoad jus nundinarum.

Jus nundinarum e privilegio aquisitum, qui illud habet in aliquo loco, potest contradicere illi, qui in vicino loco, pro eodem die nundinale privilegium impetrare vult. Tit. 10. part. II. Porro dominus nundinarum habet jus certam taxam vel privilegio vel legali usu determinatam a stationibus vendentium desummendi.

Anno 1777. die 17. maji nro. 1957. resolutum est, siquidem beneficium nundinale forense (huc non intellectis, quae ex rurali oeconomia producuntur) juris terrestralis esset, et ad regalia dominii pertineret, laridi, smigmatis, et candela-

rum exarendationem a dominio terrestrali dependere.

Ad beneficium nundinale, seu jus forense referuntur adhuc, distractio salis, virtute resolutionis regiae anno 1787. die 29. mart. nro. 11943. ad comitatum szaladiensem interventae, in qua dicitur; siquidem quaestus cum sale, et similibus ad jura regalia pertineret, ideo distractionem salis subditis non competere, quaestus item cum ferro, et aliis rebus mercantilibus. (privilegiis tamen communitatum in salvo relictis).

ART. V.

Quoad molare beneficium.

E resolutione regia anni 1774. de 25. aprilis nro. 2082. Cum beneficium molae regalis esset juris, ad id dominium terrestrale cogi non potest; ut cum propria injuria molas apud colonos relinquere teneatur (nisi communitates privilegio eatenus provisae essent, aut legalem exercuissent usum) in casum, quo domini terrestres molas admittere non possent, ibi praevie molae aestimentur, et pretium aestimationale colonis effective persolvatur.

ART. VI.

Quoad jus detractus.

Circa jus detractus in ordine ad tales, qui substantiam suam e regno in exteras provincias efferunt, inductum per dominium Moson sibi addici postulatum, anno 1771. die 14. octobris nro. 5367. resolutum est; siquidem juxta intellectum legum patriarum, jus detractus neutiquam privatis, sed ipsi regiae Majestati competeret, hinc

quemadmodum ejusmodi jus detractus immediate ad aerarium regium inferendum erit, ita praecipi, ut provisio haec non tantum ad omnes comitatus mosoniensis dominos terrestres extendatur, verum in aliis etiam, praeferenter autem ad exteras provincias vicinius sitis comitatibus firmam sortiatur regulam. Quorum in conformitate anno adhuc eodem 28. decembris nro. 5923. opportuna apud omnes comitatus circulariter disposita sunt.

SECTIO VI.

De spiritu b. resolutionum regiarum, relate ad ea, quorum intuitu abusus et varii excessus fieri possent, emanatarum. (puncto urbarii septimo et octavo.)

ART. I.

Quoad abactiones, et invagiationes pecorum.

Circa invagiationes pecorum ad subditos spectantium, quae saepissime, praesertim in controversiis metalibus evenire solent, vigore resolutionis regiae anno 1771. die 6. februarii nro. 538. dispositum est, ut siquidem meritum abactionis et invagiationis pecorum ad ordinariam juris viam pertineat, dominis autem terrestribus, ex ratione conservationis subditorum suorum, invagiationes, et abactiones has, pro parte eorundem subditorum suorum vindicare, et ab ulteriori enervatione ipsos praeservare incumbat, domini terrestres in quantum territoriorum suorum limites definiti non essent, ad antevertendos excessus, et damna

suos subditos manentia, juxta legum praescriptum quo celerius definiri curent, definitis autem metis, si abactiones et invagiationes contra subditos suos indebite, attentarentur, condignam iisdem satisfactionem suo modo procurare teneantur; ipsi autem in similibus casibus procedentes magistratuales, causas hujusmodi coram se decurrentes, citra ambages, et protelationes quantocius terminent, et decidant, ne per remoram contribuentes tardam damnorum suorum refusionem consequantur. Cum porro contingat nonnunquam, quod occasionibus invagiationum et abactionum contribuentes subditi, gravibus parati aeris extorsionibus per invagiantes, et abigentes dominos terrestres graventur, et nec provisio legum hoc in passu observetur, universis regni comitatibus, medio circularis intimati, anno 1771. die 24. maii nro. 2670. injunctum est, quatenus hoc in objecto excessibus dominorum terrestrium serio invigilent, eosdem ad praescriptam legalem provisionem invient, et subditos parte in hac, per fiscalem etiam actionem contra excedentes erigendam, manuteneant, praeterea vero dominos terrestres in territoriorum suorum limites distinctivis signis extra controversiam collocandos, admoneant.

ART. II.

Quoad refroenandos inobedientium rusticorum tumultus.

Anno 1782. die 23. septembris nro. 6221. et 7141. ea intervenit circularis resolutio regia, ut in quantum pro coercendis talibus tumultuantibus,

et inobedientibus subditis, pro casu item restantiae contributionalis, et restabiliendae tranquillitatis publicae, hajdones comitatenses non sufficerent, erga requisitionem concernentium comitatuum per supremam armorum praefecturam, ubi dispositiones jam factae habentur, militaris actutum tribuatur assistentia, cujus tamen usus adhibito moderamine et circumspectione fiat, et in similibus emersuris casibus cum respectivo statu militari per comitatus correspondentia foveatur. Virtute demum resolutionis regiae pariter circularis, anno 1776. die 14, junii emanatae, omnes, et singulos subditos, ad rite explendas subditales obligationes suas, exhibendamque tam erga dominos suos terrestres, quam vero magistratuales comitatus obtemperantiam sub poena 5. vel 10. annorum, et perpetuorum carcerum etiam, aut mortis pro demerito, commonendos esse, dispositum fuit.

ART. III.

Quoad abaestimationes, et eliminationes inutilium colonorum, qualiter instituendas.

a. Norma, ordine, et cautelis in casibus restabilitae liberae migrationis colonorum, tum ex parte migrantium, quam et concernentium dominiorum terrestrium observandis, per articulum 35. 1790 §. 1. item 12. 1792. et 3. 1796. defixis; quaestione vero quoad reciproca jura dominorum terrestrium relate ad amovendos sibi publicoque graves et inutiles colonos, tenore praecitati articuli 35. 1790. §. 1. ad deputationem regnicolarem, in puncto elaborandae uberioris urbarialis

regulationis ordinatam, relegatâ; ut interea etiam, donec hoc in puncto quodpiam fixum systema diaetaliter stabilitum et defixum exstiterit, parte quidem ex una sumptus in celebrandas sedes dominales erogandi compendientur, parte tamen ex altera sorti colonorum; ne iidem absque sufficienti causa e sessione colonicali exturbari, et pro arbitrio amoveri possint, plene consulatur, dignabatur sua Majestas sacratissima usque stabiliendum hac in parte diaetaliter fixum systema sequentem observandam normam clementer praescribere.

Ut dum quispiam dominorum terrestrium colonum seu a praestatione urbarialium, et publicarum datiarum, seu vero a gravioribus excessibus notatum, et incorrigibilem de sessione colonicali amovere intendit, dominium terrestrale propterea quidem sedem dominalem celebrare non teneatur, verum in singulis casibus dominia terrestralia teneantur legale comitatense testimonium, id est judicem nobilium cum jurassore, in concursu etiam fisci magistratualis ad faciem loci evocari facere, judicis autem nobilium obligationis erit.

1. Auditis pro re nata primoribus loci in causas depellendi e sessione coloni stricte investigare.

2. In casu nonnisi subversantium realium et sufficientium rationum facultatem dominio terrestrali et quidem semper scripto impertiri, quod colonum suum velut sibi et publico gravem, atque inutilem e sessione aut fundo amovere queat.

3. In eo certam provisionem facere, ut in locum exulis coloni, alter praestationibus dominio et publico obvenientibus magis idoneus, et quidem statim post remotionem prioris coloni illocetur, ne secus dominiis terrestralibus occasio adaperiatur, ejusmodi sessiones longiori tempore vacuas relinquendi, aut plane tales pro propriis usibus retinendi, cum manifesto fundi contributionalis praejudicio.

4. In singulis ejusmodi casibus comitatui scriptam relationem praestare statis temporibus ad protocolla urbarialia inserendam.

Ad haec obtenta a districtuali judice nobilium scripta facultate fine eo, ut omnis e sessione exulare debens colonus, in antecessum de alio futuri domicilii loco tempestive sibi prospicere valeat, ad antevertendas etiam publico nocivas divagationes, et exinde suppeditandam patrandorum excessuum occasionem dominia terrestralia in singulis casibus teneantur colono, e sessione abigendo, terminum trium mensium praefigere, et insinuare, intra quem is omnes restantes robottas et datias depurare, prout, et sua debita adjustare, atque de novo domicilii loco sibi providere queat, ante discessum autem dominia terrestralia teneantur migraturo colono pretium meliorationum, et superaedificatorum propriis sumptibus, et materialibus procuratorum, aliarumque legitimandarum investitionum ex condigna aestimatione eruendum persolvere.

Quae benigna resolutio regia praetitulatis dominationibus vestris pro sui notitia, et directione, atque in occursuris casibus accurata observatione hisce nota redditur. Datum ex Consilio regio locumtenentiali hungarico, Posonii die 15. junii 1802. celebrata. Nro. 12926.

b. Benigna normali resolutione, circa methodum et cautelas, in casibus amotionis colonorum velut dominiis suis terrestralibus, et publico gravium, atque inutilium, interea etiam, donec hoc in puncto quodpiam fixum systema diaetaliter stabilitum, ac defixum fuerit, observandas, sub dato 15. junii 1802. nro. 12926. circulariter publicata, siquidem a parte nonnullorum regni comitatuum in eo remonstrationes factae exstiterint, quod per praecitatam benignam resolutionem, vigore cujus judicibus nobilium in concursu fisci magistratualis evocandis activitas, et potestas defertur, ut in emersuris casibus in causas depellendorum colonorum investigare, et quaestionatam amotionem pro re nata admittere aut denegare possint, activitati sedium dominalium et juribus dominorum terrestrium nimiopere derogetur; adeoque praefati nonnulli comitatus praeallatam benignam resolutionem eo sensu accepisse videantur, quod objectum amotionis colonorum dominiis suis terrestralibus et publico gravium atque inutilium coram sede dominali amplius assummi, et pertractari nequeat, eapropter Consilium hocce regium locumtenentiale praetitulatis dominationibus vestris pro sui directione, et danda concernentibus dominiis terrestralibus inviatione hisce ultro in-

timandum habet, cum per praecitatam benignam normalem resolutionem vetitum non sit, quominus praeallatum objectum amotionis colonorum in sede dominali, methodo quippe legali, et hucdum usu firmata assummi et pertractari queat, verum novius praescripta norma unice viam breviorem et compendium sumptuum, in frequentiores sedium dominalium celebrationes erogandorum pro scopo habeat, et vel ideo in favorem dominorum terrestrium subserviat, hinc eandem benignam resolutionem regiam eo sensu accipiendam esse, quod dominiis terrestralibus liberum maneat, et unice ab eorum arbitrio dependeat, utrum favore praecitatae benignae resolutionis uti, adeoque in emersuris casibus objectum amotionis colonorum alterutra via, quippe aut coram sede dominali, aut vero breviori methodo juxta normam neo praescriptam assummi et pertractari facere velint, datum ex Consilio regio locumtenentiali hungarico Budae die 31. mensis maii 1803. celebrato nro. 13874.

c. In nexu benignae resolutionis regiae, quoad subditorum e sessionibus colonicalibus amotionem ddo. 15. junii 1802. nro. 12926. circulariter publicatae, dignata est sua Majestas sacratissima medio recenter editae praevio in merito benignae suae explanatoriae resolutionis regiae, a c t i v i t a t e m e x m i t t e n d o r u m p r o a b a e s t i m a t i o n e c o l o n o r u m j u d i c i s n o b i l i u m c u m s i b i a d j u n c t o j u r a s s o r e , n e c n o n f i s c i m a g i s t r a t u a l i s , p u r e a d q u a e s t i o n e m i l l a m , n u m f u n d a m e n t a a m o t i o n i s s u b d i t i a d s i n t , m o d a l i t a t e i n p r a e c i t a t o c i r c u l a r i i n t i m a t o p r o p o s i t a c l e m e n t e r e x t e n s a m h a b e r i.

N e g o t i u m a u t e m a b a e s t i m a t i o n i s s e u b o n i f i c a t i o n i s s u p e r a e d i f i c a t o r u m , m e l i o r a t i o n u m , i n v e s t i t i o n u m , a u t r e l i q u a r u m i n t e r d o m i n i u m e t

subditum praetensionum, ex nexu subditelae promanantium penes priorem provisionem relictum esse. Ne proinde subditi prius sedes suas derelinquere cogantur, quam justis nefors eorundem praetensionibus realiter satisfiat, porro clementer disponendum iussit altefata sua Majestas sacratissima, ut praevio modo exmittendi magistratuales cum fiscali comitatus, eadem occasione amovendum subditum constituant: num quoad suas nefors praetensiones per dominium plene et realiter excontentatus exstiterit? quo in casu si semet minus contentum declaret; rem inter dominium, et subditum amicis pactis et inito computu componere studeant, qua compositione non succedente, dominium ad servandam sedem dominalem inviabunt, neque subditus prius amoveri poterit, quam negotium sua forma superatum, et subditus in quantum eidem aliquid competere judicaretur, realiter excontentatus fuerit. Tandem exmissi magistratuales tam rationes amotionis subditi, quam et negotium qualiter superatarum mutuarum nefors praetensionum in relationibus suis perstringere teneantur, quod ipsum extractibus protocollaribus comitatuum breviter inferendum erit. Hanc proinde altissimam dispositionem regiam Consilium hocce locumtenentiale regium hungaricum praetitulatis dominationibus vestris pro statu notitiae, et pro futura sui directione, atque debita observandorum observatione, hisce intimandam esse duxit. Datum ex Consilio regio locumtenentiali hungarico Budae die 26. mensis martii 1811. celebrato. Nro. 7194.

ART. IV.

Quoad birsagiorum desumptionis tertialitatem.

Circa birsagiorum dominis terrestribus ob saevitiem in colonos sedrialiter dictandorum tertialitatem, quam fiscales magistratuales sibi addici petebant, anno 1784. die 8. januar nro. 91. ca

emanavit resolutio regia, ut cum fiscales magistratuales vi officii sui, subditis gratis assistere teneantur, a positiva vero suae Majestatis sacratissimae resolutione recessus fieri nequeat, similium birsagiorum tertialitates cassae publicae inferantur.

SECTIO VII.

De judicibus, et locorum administratione. (puncto urbarii nono.)

ART. I.

De obligationibus judicum, et loci primorum.

Iudicibus praeprimis locorum, et ceteris primoribus sequentes incumbunt obligationes. a. Quanti contributionalis inter ejusdem loci incolas repartitio, incassatio, et ad cassam comitatus administratio. *b.* Praejuncturarum militiae, sive in publico officio constitutis, erga assignationem comitatus, vel provincialis commissariatus duntaxat praestandarum. *c.* Laboratorum item, pro reparandis viis, ac publicis aliis necessitatibus requisitorum provisio. *d.* Quarteriorum militiae seu transennali, sive stativanti assignatio. *e.* Proventuum communitatis, qui potissimum ex educillis communitatum exarendatis, pratis item communitatum, ubi haec adsunt, ac poenalitatibus inter se constitutis, ceterisque beneficiis provenire solent, administratio, super qua judices singulo anno rationes reddere obligantur. *f.* Vespilonum, pastorum, ac aliorum communitatis servitorum conductio. *g.* Instrumentorum ad supprimenda incendia necessariorum comparatio, et conservatio. *h)* Malefactorum interceptio, et jurisdictioni sive comitatus, sive dominali traditio. *i-* Pontium in territorio locali existentium reparandorum, et novorum construendorum cura. *k.* Mandatorum dominalium in jurisdictionalibus, et urbarialibus elargitorum executio. *l.* Damnorum in segetibus et foenilibus per colonorum pecora et pecudes causatorum aestimatio.

ART. II.

Meritum pendendae contributionis uberius dilucidatur.

a. Oneri contributionali subjiciendi praecipiuntur Popae ab universis illis fundis, quos post sui creationem ad se pertraxerunt, et in quantum Popae ultra constitutivum unius sessionis colonicalis quidpiam tenerent, ab eo onera quoque urbarialia, et dominalia ferre tenentur, si autem respectu talium fundorum ab oneribus publicis et dominalibus exempti fuissent, iisdem subjici debent, in quantum exemptio nulli prorsus sufficienti motivo innixa, foret abusiva: vigore resolutionum regiarum annis 1771. 29. novembris, nro. 6040. et 1779. 24. septembris elargitarum.

Circa parochos graeci ritus non unitos 1784. 16. decembris nro. 14391. id etiam decretum fuit, ut iisdem pro domestica et propria necessitate frusta boum numero 6., equorum duo, vaccarum 2. unius alterius vituli, ovium 18, et sabellicorum octo, citra pendendam abinde contributionem, ad communia pascua immittenda admittantur; praedefinitum autem numerum excedentes Popae, juxta repartitionem per communitates institui solitam, ad contributionis solutionem adstringantur.

b. Porro laniones titulo arendae lanienam possidentes, servitores communitatum, quicunque illi sint, et quocunque sub nomine veniant, molitores, opiliones, et alii his similes non taxae, sed immediate contributioni a proportione facultatum suarum subjiciendi sunt, et rata praestandae per eos solutionis ad quantum contributionale conferri debet; praeterea judaei a communibus beneficiis, praeter taxam tolerantialem, pariter cum reliquis incolis contribuere, et in medium communitatis dependenda dependere obligantur, vigore resolutionum regiarum annis 1774. die 8. aprilis nro. 1627. et 1775. die 13. novembris nro. 5291. emanatarum.

c. Relate denique ad servitores dominales an-

no 1778. die 7. augusti resolutum est; ut illi, in quantum fundos immobiles tenerent, ab his contributionem solvere obligentur, et nonnisi ab iis, quorum fructus directe a dominis suis terrestribus capiunt, (stricte curialibus, etc.) a contributione sint immunes.

d. Anno 1774. die 6. aprilis nro. 1630. resolutum est, ut occasione peragendarum dicalium conscriptionum, quae pro ejectatione quanti contributionalis deserviunt, fatalitates annorum, sterilitas videlicet procreationis tam in vino, quam in frugibus, et aliis, lues item pecorum in condignam reflexionem summantur, et onera contributionalia, facultatibus duntaxat approportionentur; deperditae porro, ex dislocatione contractionalis militiae promanantes acceptentur, pro evitandis autem deperditis, dislocationes, exindeque profluentia onera ea ratione distribuantur, ut habita virium, locorum, ad quae miles dislocandus est, condigna reflexione, deperditae ex illocatae militiae actualitate originem trahentes, damnificatis, et aggravatis, juxta aequam inter omnia gremialia loca observandam proportionem pro justo bonificentur.

e. Anno 1781. die 7. junii nro. 1843. comitatui varasdinensi intimatum est; publica, et privata onera nonnisi tenutis et facultatibus contribuentium commensurata locum habere, neque contribuentes ab objecto non praeexistente onere quopiam gravari posse; quia vero enati in regulatione urbariali, sive per dimensiones geometricas, sive vero facto exequentium magistratualium defectus, contribuenti neutiquam nocere possent, ideo contribuens plebs, quoad praestationes, ultra effectivum tenutorum statum exactas, pro praeterito etiam indemnis reddatur.

f. Anno 1793. die 29. novembris nro. 4283. decretum est; quod fundorum commutatio coacte, et invito possessore locum habere non possit, sed

arbitrio partium, et reciprocae liberae conventioni relinquenda sit, eo ex fundamento, quod in nullo urbariali puncto, dominiis terrestralibus, fundos subditorum suorum intravillanos (dispositione tituli 40. partis I. in salvo relicta) adimendi facultas tribuatur, titulus vero 30. partis III. proprietatem subditi, quoad aedificia propriis impensis erecta, haud excludat, fundamento quoque h. resolutionis regiae 20. septembris 1773. nro. 5023. intimatae. Interim excambiationem terrarum urbarialium, dummodo quantitate, et qualitate pares iisdem substituantur; et fundus contributionalis particularis nullum oneris accrescentis praegravium sentiat, tam ipsum h. urbarium, quam vero plures hocce excelsi Consilii regii intimatum praecedentes resolutiones regiae, dominis terrestribus diserte admittunt, et concedunt. Succincte attingitur hic de agilibus, quorum tractamenti ratio, et peculiares immunitates saepe jam, in specie anno 1802. officiosam pertractationem provocarunt. Varia eorundem in Hungaria tractandi norma obtinet. In comitatu Veszprém agiles personae velut sensu tituli 7. part. III. ignobiles, opificia item et quaestus, ac alia personas eorum sequentia, pro objecto contributionis, et ferendorum concomitantium publicorum onerum assumuntur; pecora autem et pecudes pure, et unice in fundis nobilitaribus intertentae, usque ulteriorem diaetalem provisionem ab onere contributionis, et praejuncturarum modo provisorio eximuntur; a quorum tamen qualiter tractari solitorum modo, et usu, velut urbarialem sphaeram excedente, uberius isthic deducendo praescindi potest.

ART. III.

De justitia colonis ex officio administranda.

a. Ut in processibus urbarialibus, in quibus fiscales magistratuales partes colonorum, qua ex officio assistentes suscipiunt, eisdem fiscalibus

magistratualibus nulla peculiaris pro laboribus et fatigiis remuneratio detur; quia id vi muneris agendum eis incumbit, et salaria magistratualium inde ab anno 1773. die 1. maii alioquin jam aucta sunt; resolutione regia die 25. junii 1773. nro. 3098.

B. resolutione regia die 8. aprilis anno 1774. nro. 1964. attamen resolutum est; quamvis magistratuales comitatuum contribuentibus gratis assistere teneantur, quia tamen non omnes prorsus per magistratuales personas factae expensae praecludi possent, ideo si illi sumptibus aliqua agant, itinerationes perficiant, aut plane communitatibus urgentibus assistens fiscus magistratualis promovendae in altioribus foris instantiae causa abire debeat, consentaneum sit, ut in ejusmodi casibus expensarum refusiones; et respective remunerationes iis praestentur; (casu ultimo per constitutionem contribuentium agentis ex officio, adeoque gratis gravamina colonorum promovere obligati jam nunc cessante.)

b. Ut in casibus illis, in quibus querelae quoad territorialem differentiam inter duas possessiones distinctis comitatibus adjacentes praevigentem, per subditos ponuntur, querimoniae tales in sede dominali praesente ex utroque comitatu, quibus possessiones situantur, legali testimonio, et sub assistentia utriusque comitatus fiscalis, auditis ambarum possessionum subditis assummantur, et decidantur, huiusque sedis dominalis acta, subscriptione utriusque legalis testimonii munita, in sede judiciaria ex utriusque non absimiliter comitatus magistratualibus constituenda, revideantur, ac ita altiori loco substernantur Resolutio regia die 24. decembris 1773. nro. 6477.

BINDING SECT. NOV 27 1969

HD 639 H9P3 v.1

Pauly, Károly
Constitutio rei urbarialis regni Hangariae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 15 14 05 009 2